M. ABDIÆ TREW
Profeſſoris Phyſici & Mathematici
ASTROLOGIA MEDICA
QUATUOR
DISPUTATIONIBUS
comprehenſa
quarum
Prima: de Abſurditatibus Aſtrologiæ vulgaris & contra veris cæleſtium in hæc inferiora operationibus.
Secunda: de Reſpectu corporum Naturalium ad ſidera in ſe agentia, in genere
Tertia: de Homine ejusq; Affectionibus & potiſſimum Morbis quatenus ſideribus ſubiiciuntur.
Quarta: de Applicatione Aſtrologiæ ad ipſam Medicinam & ſingulas ejus partes.

SENECA
Quod fieri in Senatu ſolet, idem ego in Philoſophia quoque exiſtimo: cum cenſeat quis quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere ſententiam & ſequor.

ALTDORFFI
Typis GEORGI HAGEN, Univerſitatis Typographi
[1663]

350725

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

COMMENDATIO INSTITUTI AUTHORIS

COrporis humani quis ſit conſen-
ſus ad Aſtra
TREWIUS hîc multâ cum ratio-
ne docet.
Ut Medici diſcant vanum diſcerne-
re vero,
Naturam ſignis mundi utriusque
probat.
Aſtrologum Medicum quare illum
dicit Apollo,
Cujus ad Ingenium mundus uter-
que patet.

Ita Clariſſimi Dn. Præſidis Collegæ & compatris honor. Aſtrologiam Medicam Lmq́; commendat

MAURITIUS HOFFMAN,
Med. D. & P. P.

Sidera

Idera, quas habeant, varios peragentia curſus,

Hipp. l. de aëre loc. & aquis. ed. Fœſ. p. 281.

In mundo vires, noſcere perſpicuè,
Reverà multum confert ad ritè medendi
Artem Pœoniam. Sic ait Hippocrates:
Nec malè: Vellatur modò, ſi qua inoleſcere ſuevit
Hactenus in multis, vana ſuperſtitio.
Hoc ſcitè monſtras nunc, nomine req; FIDELIS,
Qui decus es Sophies, & catus Aſtrologus,
Clareſcas operâ hac. Gnatus veſtigia ſervet
Utq; Patris ſolers, adjuvet ipſe DEUS.

Erga honoratiſſimum DN. Collegam, & olim in Matheſi Præceptorem fideliſſimum, benevolentiam teſtaturus

f.

JACOBUS PANCRATIUS BRUNO
Phil. & Med.D. hujusq;
Prof. Publ.

ASTROLOGIÆ MEDICÆ
DISPUTATIO PRIMA
DE
ABSURDITATE PLURIMORUM DOGMATUM ASTROLOGIÆ VULGARIS ET CONTRA VERA OPERATIONE COELESTIUM IN HÆC INFERIORA IN GENERE

RESPONDENTE

SIGISMUNDO TREW, ALTDORFFINO

PROOEMIUM

ETſi negari non poteſt ad eam profeſſionem hæc pertinere quæ curam humani corporis in procuratione Medicinæ & aliarum rerum ad vitam & valetudinem hominis pertinentium gerat; cum prorſus abſurdum ſit, tempora eorum quæ agere debeas ignorare. Proteſtor tamen adeò non cupidum eſſe me hujus vel laudis vel criminis, quòd falcem in alienam meſſem miſerim, ut potiùs indigner tantum per tot annos, imò ſecula ferè, licuiſſe Aſtrologis, generi hominum *ut Kepplerus vocat* plerumq; populari, & ſomniatorio, *ut Medicis leges ferre & tempora curationibus præſcribere auſi fuerint, his interim conniventibus, non quòd probanda talia deprehenderint, ſed quòd ponderare, infra ſuam profeſſionem eſſe exiſtimârint. Cum ergò fatendum inſuper mihi ſit non penes Medicos (extra hanc conniventiam non ſatis dignã ſane tanta tantiq; nominis Profeſſione) ſed penes meæ profeſſionis homines culpam hujus rei hærere. Officii mei eſſe putavi, non tantùm penitius hanc rem inſpicere, ſed & in publicam lucem & omnium ſapientum conſpectum prodire, eorumq; judicio atq; examini (ita tamen ut meis etiam rationibus vel ſicubi erraſſe arguar reſponſionibus ac defenſionibus locum aliquem datum iri confidam) ſubjicere. Sit ergò in nomine Medici Iſraëlis & Domini exercituum.*

THESIS I.

MAgnam eſſe vim Aſtrorum in hæc inferiora eorumq; mutationes naturales, Sol & Luna etiam ruſticos, reliqua Aſtra vel parum in eorum obſervatione attentos docent, ut prorſus veriſſimum appareat eſſe illud Ariſtotelis (quantumvis multis eorùm qui ejus diſcipuli audire cupiunt abſurdum) *2. de Gen. & Corrup. T. 56. & 57. omnem Generationem & Corruptionem à Cœlo eſſe.*

2. Hæc qui vel paulò attentius conſideraverit non poterit non intelligere plurimum momenti afferre notitiam ſiderum ad corporis humani, ejusq; morborum & Symptomatum curationem.

3. Ut autem in Terris per peccatum primorum parentum arbor vitæ, quæ inſtar Medicinæ fuiſſet, qua in æternum usque vitam prolongare potuiſſent, & extrema ἀσωτία Mundi antediluviani, in cujus pœnam abyſſi fontes aperti & venenata aut certè humanæ Naturæ incommoda mineralia cum aquis diluvii orbi terrarum ſuper inducta, etiam id quod reliquum erat ſalubrium plantarum fructuum & frugum magna ex parte corrupit & inſalubre reddidit, vel certè, ut minus vegetarent atq; vegetarentur effecit: Ita in cœlo ex altera parte ſuperſtitio & περιεργία ex alterâ ignavia & ὀλιγωρία operum divinorum, illam etiam artem nobis corrupit & pervertit qua magna ex parte corrigere hoſce defectus potuiſſemus, ut ſcilicet cauſis rerum naturalium & quotidianarum circa eas viciſſitudinum â prima origine quam â cœlo eſſe audivimus, petitis accuratam morborum adeoq; corruptionis curationem inſtituere potuiſſemus.

4. Quis enim dubitare poteſt, multis imperfectionibus obnoxiam eſſe medicinam eorum morborum quos neſcimus, & ſcientiam quorũ cauſas magna ex parte ignoramus?

5. Nec eſt quòd earum cauſarum quas ægri conditio nobis ſuppeditat fiduciâ perfici omnia quæ hîc requiruntur, poſſe putemus. Ut enim omnia illa nota ſint, tempora certè Symptomatum, Criſium, imò initii & finis morborum, ſi non omnia, majore certè ex parte latere neceſſe eſt eos, qui menſuram temporum, cœleſtes inquam motus ignorant.

6. Primum noſtrum parentem Adamum & proximè eum ſecutos Antediluvianos Noachũ nec ipſum tantum ſed & filios inſigni; præſertim poſt tot annorum obſervationes ſcientia harum rerum polluiſſe, dubitare nemo debet; quemadmodum nec de hoc, quòd magnam ſcientiæ partem ad poſteros cum ipſa proſapia propagârint. Quòd verò fieri ſolet in traditionibus, hic etiam factum eſt, ut culta quidem ſit poſtea, ſed peſſimè (quamvis juxta impenſiſſimè) culta apud Chami poſteros, Ægyptios & Chaldæos, imò in ipſo Chamo ſtatim, ſi verum eſt, quod quidam ſuſpicantur, eum eſſe qui â profanis ſcriptoribus Zoroaſter vocatur, Magicorum artium peritiſſimum, quas cum Aſtrologia ſolere permiſceri, nôrunt ii qui ſaltem per tranſennam myſteria iſta inſpexerunt.

7. Narrat quidem Joſephus *l. 1. Antiq. c. 3.* Sethum inventa ſua inter quæ præcipuum locum habuerit ſideralis ſcientia duabus columnis inſcripſiſſe, quarum altera ſuo adhuc tẽpore in Syria extiterit, ut ſuſpicari forte liceat poſteros indè tanquam ex tabulis & libro omnibus aperto hanc qua noſtri Aſtrologi ſuperbiunt ſcientiam didiciſſe atque traduxiſſe. Attamen ſi hiſtorias veteres non profanas tantùm ſed ipſius Sacræ Scripturæ rectè intueamur, non ex columna illa (ſi tamen ita vetus fuit ut Joſephus tradidit,) ſed ex Chami poſterorum Ægyptiorum & poſtea Chaldæorum ſcholis eruditio, ut videbatur accuratior etiam in ipſum Dei populũ derivata eſt, uti teſtatur Moſis, & Danielis hiſtoria *Act. 7. v. 23. Dan. 1. v. 4. & 17.* (*vide margin. Lutheri.*

8. Ex iiſdem fontibus ad alios etiam populos Ægyptiacas & Chaldaicas artes derivatas teſtatur Pythagoræ Platonis & aliorum Philoſophorum eruditionis cauſa ad illos commigrantiam hiſtoria apud Diogenem Laërtium, Imperatorum apud Suetonium & Tacitum; & ipſa confeſſio apud Vitruvium l.9. & Galenum de diebus Decretoriis, Macrobium &c. ad. eò ut nomen Chaldæorum Origine gentilitium in nomen profeſſionis conmigrârit, ut qui Aſtrologus eſſet, idem & Chaldæus vocaretur, quamvis â Chaldæis non eſſet oriundus. Quid? Quòd Jndorum etiam de ſideribus eorumque efficacia ſententiam cognitum, profectum ad ipſos & librum eorum quæ ex illis didicerit conſcripſiſſe Magum Apollonium in vita ejus referat Philoſtratus?

9. Qualis autem Ægyptiorum & Chaldæorum Aſtrologia fuerit non eſt difficile non modo ex ruderibus apud Ptolomæum, Firmicum, Paulum Alexandrum Macrobium ſed etiam ex Hiſtoricis, illorum quidem apud Herodotum *lib. 2.* utrorumq; verò apud Diod. Siculum *Biblioth. Hiſt. l. 2. p. edit. Rothm. 73. & Steph. 42. & 80.* cognoſcere. Prorſus ſcilicet hodiernæ vulgari ſimilis: niſi quòd apud Herodotum & Diodorum Siculum ſtellis vel tanquam DEIS, vel ut Macrobius interpretatur Deorum vehiculis tribuantur, quæ Ptolomæus ipſis tanquam agentibus naturalibus aſcripſit.

10. Etſi verò, ut dictum, Ptolomæus, Chriſtianus, ut videtur, (vix enim eſt ut ita ſobriè de his rebus quas ab Ethnicis acceperit loqui potuiſſe nobis perſuadere patiamur, vixit autem temporibus Adriani & Antonini Imperatorum benignius quàm alii Chriſtianos habentium) multa Ægyptiorum & Chaldæorum deliria ſuſtulit, eorum verò quæ retinuit Phyſicas rationes reddere conatus eſt, ut non ineptè ſcribat de ipſo Picus Mirandulanus *non tàm inſaniæ iſti favere, quam modum ponere videri voluiſſe.* Nihilominus & eorum quæ retinuit rationes

tiones quas afferre interdum conatur valdè frigidæ ſunt. Et cum ob irruptiones Gothicas in Romanum Imperium, Aſtrologia in Africam (ut Kepplerus loquitur) *exulatum abiiſſet*, illa ipſa ſuperſtitioſa inibi non modo poſtliminiò revocata, ſed etiam aucta ſunt, præſertim cũ poſt Alphonſum Regem & ejus auſpicio ſuſceptam per homines illius regionis tabularum Aſtronomicarum correctionem, in Monaſteria & Scholas detruſa curioſis illorum hominum ſpeculationibus, mendaciis inſuper & ſcriptis ſuppoſititiis (vide Mirandul. *contra Aſtrol. l.1. circa medium* plurima exempla commemorantem) inquinaret.

11. Ex hac Schola progreſſus primò Guido Bonatus diligentior in dogmatum illorum Arabicorum collectione, & ut videtur auctione, quàm delectu, deinde qui hũc valde celebrat, Johannes Ganivetus ordinis Minorum monachus A.C. 1496. *Amicum Medicorum* ſcripſit idem tentantem quod nos hic tentamus; & Johannes Müllerus de Monte Regio Franconiæ vico, vulgò Regiomantanus dictus, cum Ephemeridibus â ſe ut videtur inventis electionum regulas conjunxit, quarum quasdam quidem fundamento non deſtitui, multas verò ſuperſtitioſam originem ſatis de ſe prodere, in compendio compendiorum nuper edito paucis oſtendiſſe me puto. Et hujus vitula ararunt in hunc usque diem inſtatuendis Electionibus Calendariorum ſcriptores, ancillantibus circâ calculum temporis inſcitiæ plerorumque Ephemeridibus ad aliquot annos computatis.

12. Etſi autem hæc omnia tot abſurdis ſunt referta, ut non difficulter veniam mereri debere videantur, non tantùm qui abſurda illa ſed qui totam influentiarum cœleſtium, imò ipſius cœli doctrinam abjecerunt aut neglexerunt. (Quemadmodum enim apud metalli foſſores imperitiores multos ajunt lapides abjici aut negligi, non quòd nihil auri contine-

ant, ſed quod ſeparare inde illud non poſſint) vicit tamen apud curioſiores authoritas antiquitatis primorum ut putabant authorum in ſacris etiam literis â ſapientia celebrium. Præſertim cum tunc invaluiſſet principium, non in Theologia tantum ſed in omni liberali diſciplina *antiquiſſimum quodque veriſſimum eſſe* cui tantùm tribuerunt, ut præſtudio illo omnium ad antiquitatem referendorum, non modo omnes rationum reddendarum conatus frigerent, imò ſorderent: ſed etiam in con fingendis & ad antiquiores authores transferendis figmentis nullius ipſos mendacii puderet, Tales authores ſunt Hermes Trimegiſtus imò ipſe Rex Salomo, &, ad quod riſum vix teneas, Hippocrates, & quidem quia Græca nullibi apparent â Petro Abbano in Latinam Linguam ſcilicet translatus. Quaſi neſciamus Aſinum ad lyram doctiorem, quam ſeculum quo iſta producta ſunt ad Græcas literas; Hippocratem verò & ex ſeculo quo vixerit (fuit autem Belli Peloponneſiaci tẽpore) & ex ſcriptis ipſius in quibus Aſtrorũ mentionẽ facit, ſolertiori ſcientia Planetarum etiam Aſtronomica apud ſuæ gentis homines multò antiquiorem fuiſſe.

13. Hæc ideò proferre volui ut omnes intelligerent ex altera quidem parte tantum abeſſe ut authoritate capi debeamus in judicandis vulgaris Aſtrologiæ dogmatibus, ut potius ex tot tantopere inquinatis canalibus per quos Aſtrologiæ fontes fluxerunt inquinatis etiamſi nullum illorum apicem intuiti eſſemus non ſuſpiciari ſed firmiſſimè ſtatuere debeamus. Ex altera verò parte tàm clarâ Phyſices & totius Philoſophiæ luce non deſperandum de melioribus hac de re inventionibus.

14. Cùm itaq; nonniſi clauſis ad authoritatis & antiquitatis ſpeciem oculis, ad veritatem perveniendi via detur. Quippe cum videamus, non iis fulcris, quibus aliàs debeant niti vul-

garia hujus artis principia, ad vera nos convertimus,ea ſcilicet quæ partim ab experientia partim ab iis artibus quibns ſuccenturiari neceſſe eſt omnem illius artis veritatem, Aſtronomica puta & Phyſica nos convertimus.

15. Crepant ſanè Aſtrologi etiam experientiam,nonnunquam & rationes quibus cognitum ſit artem illorum veram eſſe. Sed plusquam imperitè & ineptè. Veram inquiunt eſſe artem ſuam quia prognoſticis quibusdam eventus reſponderit. Sed ut taceamus reſponſionem Mirandulani, *cum multo ſint plura* dicentis *quæ non eveniunt,cur incidiſſe eos caſu in Veritatem non arbitremur*? aut Keppleri de Harm. mundi l. 4. c. 4. *cum prognoſticum aliquod millies errat, negligitur tamen hoc, at ſi ſemel ſcopum attingit, hoc memoria dignum cenſetur, hoc omnium ſermonibus celebratur*. Rationes certè ſi quæ allegantur non ſunt illæ ex ſolidis principiis experientia collectis, aut alio nomine imotis,ſed æquè mendacibus.Ponamus autẽ nata quædam non fortuitò ſed ex caufis quas allegârint Aſtrologi, omnia tamen quæ dicant vera propterea eſſe non magis ſequitur ex paucis illis quomodocunq; reſpondentium eventuum exemplis, quam ſi ex puellæ fatidicæ *Act. 16. v. 17.* clamore,Paulum pro uno Doctore celebrantis,omnia Satanæ dicta quæ conſtat eſſe falſiſſima, vera eſſe colligere vellemus.

16. Suppeditat ſcilicet experientia non artes ipſas earumq; Theoremata aut Problemata cum ſuis ſolutionibus; (ſolo enim hoc documento ſapientiam ſibi perſuadentes Empirici, imò ſtulti quos nulla ratio ſed ſola experientia & quidem non ſine damno ducat vel erudiat,perhibentur) ſed principia, Axiomata ſcilicet ex multis experimentis collecta,quorum in argumentis poſitorum διάνοια pervenitur ad veras cõcluſiones tùm in ſcientiis tùm in artibus, non reſpuentibus viciſſim rationis rectæ examen,cujus tamen Aſtrologi impatiẽtiores ſunt, quàm veſpertilio lucis meridianæ; authoritatibus

eorum

eorum qui talia dudum obſervârint unicè omnia metientes.

17. Collecturi itaq; genuina Aſtrologiæ principia, commemorabimus primò, quas vel qualitates vel operationes Phyſicas in Aſtris deprehenſas experientiâ tradant Aſtrologi, & quomodo cum noſtratibus talia conveniant. Deinde perlũſtratis principiis atque demonſtrationibus Aſtronomicis, an & quid ex illis huc videatur pertinere videbimus.

18. A Planetis itaque & potiſſimum ſole initium ut faciamus, ſtatuitur is calidus & ſiccus & quidem hoc poſterius moderate Etſi v. præter calorem aliis etiã qualitas quibus dum pręditum concedimus; ad ſiccitatem tamen & humiditatem οὐδέτερον putamus nec aliter exſiccare, niſi quòd calori ipſius nihil adjunctum ſit humidi. Lunam dicunt humidam & frigidam, Nos in humiditate quoad primas Elementorum qualitates acquieſcimus. Saturnus deprehenditur frigidus & ſiccus. Frigiditatis cauſam conjicit Ptolomæus in remotionem ejus longiorem â ſole cujus calefactione frui propterea minùs poſſit. Sed hac ratione falſum ſupponitur principium, quaſi Planetæ â ſe invicem alterentur, cujus rei veſtigia nulla in Aſtris deprehenduntur. Jupiter temperatè & calidus & humidus, adeoq; humiditatis ſubtilis qualis eſt aëris author habetur. Mars ſiccus eſt & calidus plus tamen ſiccus. Venus Jovi ſimilis perhibetur niſi quod ſit humidior. Egò ut proficuam ejus influentiam contra morbos bilioſos, ſiccitate & calore naturam impugnantes, ita in genere potiſſimum in tempeſtatibus caloris in illa veſtigia nulla deprehendi, frigoris autem in remotione â Sole inſigniori (ubi ſcilicet ab ipſo non impeditur) humiditatis in conjunctione & quidem ea quæ ſit cum motu Retrogrado, ubi Sole eſt inferior, nec ejus radiis impeditur, aliter niſi quod Meteora illius influentia frige facta in aquam reſolvatu. Deprehendi, (quod enim benignam eſſe non poſſe ſi frigida ſit putant, falſo putant & medicamenta in malignis morbis

pleriſq;

pleriſque adhiberi ſolita contrarium docent) Minus tamen frigida ſine dubio eſt Saturno. Mercurius omnium horarum putatur & ejus planetæ naturam aſſumere cum quo jungatur, in aſpectuum ſcilicet Syzygiis de quibus infra. Ego cui tale quid de Aſtris affirmari principio illi quòd aſtra ſint in ſua eſſentia im̃utabilia, contrarium videtur, prædicatum hoc inde puto natum quòd nihil eorum quæ alii planetæ faciunt faciat, adeoq; humores ipſos eorumq́; qualitates nec excitet nec magnopere foveat. Niſi quòd frigore quodam leni & fortè cum mobilitate quadam & quaſi ventilatione conjuncto calorem Solis (cui proxime & propius quàm alii planetæ adjunctus eſt) temperet & quaſi ventilet, quemadmodum reſpiratio in corpore animato calorem nativum. Quod inter alia (niſi forte præconcepta me decepit opinio) deprehendiſſe mihi viſus ſum in obſervatorio cùm altitudines Solis Meridianas obſervarem iis diebus q́ui alias â ventis tranquilli erant, ut ſcilicet Sol cum ventilatione quadam meridianum pertranſire viſus ſit. Deceptus ſim nec ne quod ad hanc obſervationem attinet, non multum moveor: certè non ad id, ut quoad generalia de mea ſententia deducar, cum flatus excitare, cum omnibus ferè planetis deprehendatur, eosque ſiccos cum Marte (nec juxta calidos, quantumvis Mars perhibeatur calidus quem ipſum calorem tamen valde remiſſũ ex ipſa hac conſtellatione colligo) quod verò cum calidis Sole & Jove calorem augeat id inde fieri puto, quòd aqueo humori qui frigidus ex parte eſt reſiſtat) humidos cum Jove, frigidos cum Saturno & Venere.

19. Et ſimili documento ad omnium planetarum cognitionem quoad eorum qualitates pervenire mihi viſus ſum, aliosq; pervenire poſſe exiſtimo, Saturno enim Soli vel conjuncto vel oppoſito, calorem ſenſibiliter minui, Jove verò vel Marte idem facientibus, præſertim, cùm oppoſiti tardiores ſunt, adeoq; operationes ſuas fortius imprimant, augeri,

Sub veneris retrogradæ cum Sole conjunctione, ubi Sole inferior eſt diuturnas pluvias, in inſigniori diſtantia præſertim in motu directo, ſerenitatem cum frigore deprehendiſſe mihi videor. Idem alii quin deprehenderint, vel adhuc deprehendant uti non dubito, ita monendum duxi, ſi forte quandoque aliter nonnihil ejusmodi quid videatur evenire, quod fieri poſſet, v. g. ſi in diſtantia maxima Veneris â Sole Saturnus cum illa eſſet conjunctus, ubi certe craſſa quæ facere Saturnus ſolet nubium coagula magnam ſerenitatem vix eſſent permiſſura) ne ſtatim talia documenta prorſus falſa pronuncientur. Hoc ipſum enim eſt quod (quamvis natura ſingulorum planetarum ſigillatim mediocriter cognita ſit) propter tamẽ varios variarum conſtellationum concurſus judicium de tempeſtatibus ſæpè faciat vacillare. Ita Venerem cum Marte pluvioſam eſſe communis fert Aſtrologorum perſuaſio, qua in parte tamen ipſe cum ipſis non rarò deceptus ſum, idq; ut ego exiſtimo, quòd Saturnus certior pluviarum cum Venere author nulla conſtellatione conſenſerit, Sed hæc ulteriori indagini committo, ſat habens viam qua ad accuratiora penetrare poſſint, tironibus hujus artis oſtendiſſe.

20. Simili ratione & potiſſimum Solis & Lunæ appulſu ad fixas, ortuque cum iis aut, quod ego certius in hoc genere judico ex tranſitu cum planeta per Meridianum (de quo plura infra.) Item ex colore hujus vel illius planetæ colori ſimili, cujus adeò Naturam referrent, harum etiam naturam indagarunt veteres, & fortè ſcopum in nonnullis, aſſecuti ſunt, an autem in omnibus, dubio non caret. Et quicquid ſit id quod aſſecuti ſunt, certum tamen eſt in iis ipſis in quibus id ſunt aſſecuti, nondum pertingere ad eam quam de planetis habemus cognitionem; & multas prorſus adhuc latere, cum, ut infinito ſimilis ſit numerus, præſertim ſi reſpicias viam lacteam, ita ſine dubio incredibilis naturæ earum varietas. Quod â priori quidem

dem colligimus ex varietate ſublunarium, quarum nulla videatur qualitas quæ non ex ſuperioribus aliquam habeat gubernatricem. Nulla quippe extante ratione cur hæ ab Aſtris gubernentur, aliæ non item: â poſteriori verò ex locis Thematum Natalitiorum hylegialibus ut vocant, quæ niſi tanta varietate eſſent prædita, perinde eſſet, hoc an illud ſupra Horizontem aſcenderet aut inſigniorum planetarum tranſitu mutari videretur. Qua tamen in re magnam latere mutationis varietatem diſputatione de nomine σὺν Θεῷ audituri ſumus.

21. Unum tantum adjicimus de Saturno & Marte quos vulgus Aſtrologorum malos imò Malignos vocat. Ut moneamus an & quomodo illud ſit acceptandum. Nimirum non ita quod malignis moribus prædici ſint. Neq; etiam quòd abſolutè mali etiam in genere rerum naturalium ſint. Sed 1. alicui tantum. 2. Plerumq́; tantum indirectè. 3. Rurſum alicui & quidem directè boni. Boni ſunt rebus ſiccis & frigidis, cujusmodi in corpore humano ſunt oſſa & aliæ partes duriores & ſicciores reliquis. In mineralibus non tantum plumbum & ferrum ſed omnia quaſi congelata, ut omnia metalla, etiam aurum & quaſi aduſta ut arena & lapides quidam. Contra non ſatis ſunt amica rebus liquidis ſive extra ſive intra corpus humanum & quia fovent bilem, pituitam & alios noxios humores intra vel extra corpus humanum, etiam venena. Hinc ſaltem indirectè noxam hominibus & quandoq; beſtiis etiam inferunt. Sed de his fortaſſè plura σὺν Θεῷ in diſputationibus ſequentibus.

22. Atq; hæc de qualitatibus & agendi virtutibus quibus pollent Aſtra in hæc inferiora agentia in ſe, de modo quo inhæreant Aſtris & quomodo cum qualitatibus iis quas excitare vel fovere perhibentur conveniant, egi in *Phyſ: mea Ariſtotelica part. ſpec. l. 1. cap. 2. Theor.* XXXV. nec res ignota apud alios Peripateticæ ſectæ phyſi[illegible]s.

23. De modo quo qualitates illas in inferioribus excitent ſiquæras; reſpondetur vulgò tribus modis id fieri, motu luce & influentia. Operationem ex motu ptovenientem eodem modo fieri putavit ipſe Ariſtoteles, quo attritu lapidis & chalybis mutuo ignis excitatur & ob id regionem elementarem æthereæ contiguam eſſe debuiſſe. Sed hæc ſententia ut ſuper opinione de ſoliditare orbium, qualitercunque & firmitate ſatis infidâ extructa eſt, ita cum eadem meritò abjicitur. Si autem eum motum intelligas qui radiorum eſt, nihil aliud ille eſt quam radiatio quæ quamvis propriè motus eſſe negetur quod in inſtanti videatur fieri, hoc unico tamen excepto, (quod pluribus hoc loco diſceptare extra oleas putamus) omnia motus requiſita habet. ferit ſenſorium ſuum, ut ſenſu ipſo deprehendes vitro lenticulari inter oculum & ſolem incidentem poſito, & reſilit inſtar pilæ quam ἐνέργειαν reflexionẽ vocant optici. Refringitur etiam baculi inſtar corpori ſolido alliſi. Quibus rationibus calorem â ſole excitari, ut oſtendit αὐτοψία, ita ob ſimilem rationem nec de reliquis Aſtris negandum videtur. Ad lucem quod attinet, calidam eam eſſe aut cum calore conjunctam, itidem ſol docet. Sed quid de luce reliquorum ſiderum? ubi videtur ſequi, cum lucem eorum non niſi cæcus negare poſſit, effectum itaq; omnium non niſi calorem eſſe poſſe, quod ſi verum eſt, corruent ea quæ de frigida nonnullorum operatione diximus. Sed ſalva res eſt. Sciendum primò, lucem ſiderum non illorum propriam, ſed â ſole tralatitiam eſſe, aut ſi quid habeant lucis propriæ, gemmarum, cryſtalli, lapidis ſpecularis & ſimilium rerum igne carentium, nec calorem inducentium & tamen ſplendentium ſimilis videtur. Aliquid certè opaci ſub luce illorum latere colores diverſi arguunt. Rubor videlicet Martis, & Vicarii ipſius Cordis ſcorpii. Candor Veneris & Sirii, pallor Saturni &c. Et talem lucem talibus qualitatibus permixtam ſi in-

tel-

telligas, eam non caloris modò ſed aliarum etiam qualitatum effectricem vel po ius excitatricem pro diverſa inſublunaribus potentia negandum non videtur. Quod ſi quis contendat; cum luci tales qualitates conjunctæ ſint, non poſſe quin calorem ſimul excitent, ei ego non magnopere refrager, ita tamen, ut, cum lux illa in ſideribus Sole ſequioribus ſecundaria ſit, ſecundas etiam demum ferreâ qualitatibus ſideri illi propriis exiſtimandum. Quemadmodum medicamentum in aqua calefacta, aut etiam vino, præſertim non inſigniter calefaciente exhibitum, non vini ſolius vitula arat, ſed ſuas etiam qualitate & vires in mutando corpore adhibet. Et hoc voluiſſe putamus eos qui influentias luci addiderunt, non calorem ſcilicet tantum ſed alias etiam, qualitates excitare. Si quis verò qualitates â cœleſtibus corporibus in ſublinaria defluere & influere hoc eſt ſubjecta ſua migrare, aut cum cœleſti aliqua ſubſtantia illis communicari dicat, aut alia neſcio quæ, quæ actioni aut qualitati alicui activæ Phyſicæ aſcribere non audeat, ſub hac voce venditet, emptores nos iſtius mercis non eſt habiturus.

24. Sed nondum ſatis collimavimus ad ſcopum Aſtrologorum, quippe qui non tàm quærunt quid aut quomodo agant ſidera, quàm quomodo & ex quibus cauſis fiat, aut ſaltem quibus documentis deprehendatur, effectus ſiderum nunc fortior, nunc remiſſior? Hoc ea docebunt, quæ jam ſequuntur ex Aſtronomia hoc eſt Mathematica de Aſtris doctrina.

25. Hîc primò occurrunt circuli in demonſtrando motu primo & Univerſali adhiberi ſoliti, qui ſtatuuntur decem principales Horizon Meridianus Æquator, Zodiacus, duo Coluri, duo Tropici & duo Polares. Quibus explicationis & commodioris demonſtrationis affectionum cauſa adjungi poſſunt tanquam ſecundarii, circuli Declinationis, Horarii, Paralleli Æquatoris, Dierum naturalium, Longitudinum, Latitudinum,

 verti-

verticales, altitudinum, linea crepuſculi, & tandem circuli domorum & poſitionis.

27. Æquatoris præcipuus uſus eſt, ut ſit menſura & regula quædam motus primi, aſcendentibus de illo, meridiemq; tranſeuntibus quindecim gradibus per ſingulas horas, & ortus atque occaſus alicujus ſideris ſtilo aſtronomico tunc dicatur innoteſcere ſi cum quo gradu Æquatoris aſcendat vel deſcendat innotuerit; quem præterea uſum aſſignent Aſtrologi in Directionibus, de eo ſuo loco dicemus.

28. Horizon nihil facit aliud, quàm ut partem cœli conſpicuam ab inconſpicua, adeoq; diem à nocte, & ſitũ ſiderum in ſublunaria directè & immediatè agentium, ab eo qui mediante demum terra fit, dirimat. Meridianus eum oſtendit locum, in quo præ omnibus aliis efficaciſſimos eſſe ſiderum radios ex Sole in meridie diſcimus.

29. Zodaici, ut maximus eſt apud Aſtronomos ſaltem propter planetas ſub ipſo verſantes uſus: Ita non minor apud Aſtrologos abuſus. Quippe cujus ineptis diviſionibus & inde derivatis abſurdarum proprietatum & effectuum figmentis adeò dementati ſunt, ut ad effecta ipſorum ſiderum, nominatim planetarum, iis, qui vel parum attendunt manifeſtiſſima, tantùm non ut talpæ cœcutiant.

30. Sanè Ariſtoteles vitæ & mortis omniumq; mutationum phyſicarum viciſſitudines Zodiaco præ reliquis, imò unicè ferè acceptas fert. *2. de Gen. & Cor. c. 10. T. 56.* non tamen ita, ut qualitatibus diverſis ipſius circuli tribuendas putet, ſed propter ſitum, quo fiat ut ſole accedente, hoc eſt, altius aſcendente, generationem, deſcendente & diſcedente corruptionem inducat. Quam rationem Ariſtotelis veram in ſe, inſufficientem tamen eſſe ipſi dicimus, non excludendis quippe reliquis Planetis, ut ab aliis intellectum eſt, imò etiam aliquâ ſaltem ex parte ab ipſo, aliàs non circulo, cujus tanquam quantitatis

nullam

nullam eſſe efficaciam probè ſciebat, ſed ipſi Soli & Lunæ nominatim talia adſcripſiſſet, noluit autem pro ſuâ modeſtiâ atque prudentia mentionem facere de Planetis reliquis, quòd ipſius tempore natura & operatio eorum in Græcia non ſatis eſſet explorata.

31. Utut autem hæc ſeſe habeant; cùm ſint nonnulla Zodiaci attributa, quæ nō quidem in ſe, ſed itidē propter ſidera aliquid habent in receſſu, aliqua ſaltem de iis dicere operæ pretium videtur. Ne itaque idonea ad hoc negotium cum minus idoneis, imò inutilibus abjicere videamur, de diviſionibus Zodiaci tùm Aſtronomicis tùm Aſtrologicis pauca dicemus.

32. Non improbamus itaque, nec uſum omninò nullum non modò in Aſttonomia ſed & in Aſtrologia & explicandis ſiderum operationibus habere putamus, Signorum Zodiaci diviſionem 1. in ſeptentrionalia & merdionalia. 2. In aſcendentia & deſcendentia, vel potius aſcenſionis Solis verſus noſtrum verticem & deſcenſionis. Et huc præcipuè reſpexiſſe putamus Ariſtotelem. Hinc benigniores & magis proficuos naſcentibus è terra radios deprehendimus Solis, ſubinde altioris, & vertici noſtro propioris quàm humilioris, quod item ad reliquorum Planetarum radios rectè accommodari, ut ſcilicet priori caſu fortiores, poſteriori debiliores ſint Analogia operationum naturalium eodem ſeſe modo cœteris paribus ſemper habentium nobis perſuadet.

33. Nec aſpernamur prorſus diviſionem 3. in vernalia æſtiva, autumnalia & brumalia. 4. in cardinalia fixa & communia; correctione tamen egere, ſi ratio viciſſitudinum naturæ accurata inde reddenda ſit, exiſtimamus. Etſi enim non negamus, dari in cœlo & conſequenter in Zodiaco ſigna verna, æſtiva, autumnalia & hiemalia: hoc eſt, talia, in quibus Sol conſtitutus annum in quatuor iſta tempora dividat; quæ tamen ſint illa loca & potiſſimùm, quæ temporum illorum

initium

initium & finem conſtituant, non eſſet fortaſſe operæ pretium inquirere, niſi perſuaſio Aſtrologorum de initialibus illis quatuor anni temporum ſignis occaſionem illis præbuiſſet erigendorum Thematum natalitiorum, ſuper momentis quibus Sol ſigna illa ingreditur. quę opinio ut in ſeſe vana & plus quàm ſtolida, ita à janua aberraſſe deprehenditur etiam in eo, quod aliàs in ſe non magni momenti videri poterat. Quod ſcilicet initia illorum temporum videantur conſtituiſſe in medietate non in principio illorum. Ut enim, hiemem initium demum ſumere cum brumæ momento, ruſticis etiam ridiculum eſt, ſive reſpiciant ad frigus hibernum, quo jam Novembri (Germ. Wintermonat) affliguntur, ſive ad Solis aſcenſum, æſtatis potius vel veris quàm hiemis initium reſpicientem, ita æſtatem initium ſumere, tùnc cùm Sol incipiat deſcendere ſapientiâ verè aſtrologica (ſi amen aliqua datur) indignum eſt.

34. Quid ſi verò æſtatem & hiemem duobus modis ſumi dicamus, generaliter & ſpecialiter. Generaliter æſtatem ut parti anni frigidiori & hiemem ut calidiori opponitur, quo ſenſu ipſa S. Scriptura nobis præit, Gen. 8 ℣. 22. ubi Annum non in æſtatem, autumnum, hiemem & ver, ſed in æſtatem & hiemem, quemadmodum & diem naturalem in diem (artificialem puta) & noctem, nullo ibi diſcrimine temporis matutini & veſpertini habito, dirimit, ut ita in diviſione Anni Ver & Autumnus non partes Anni duabus reliquis contradiſtinctæ tanquam æque principales, ſed illarum tantum remiſſiones & acceſſiones ſint. Hâc ratione omnia ſunt expedita & tantùm manebit nomen cardinalium, quatuor illis ſignis præcipuis, quippe in quibus tanquam cardinibus, aut ut nonnulli loqui amant verticibus, Sol aut Luna ſeſe vertere videatur, in æquinoctiis quidem à parte Auſtrali ad Septentrionalem, in ſolſticialibus verò à ſuprema ad inferiorem & contra; modò taceatur diſtinctio reliquorum in fixa & communia. Si enim

rem

rem rectè ponderare voluerimus, Cardinalia illa, præſertim ſolſtitialia ſimul non tantùm cardinalia ut dictum, ſed etiam & fixa & mobilia & communia dici poterunt. fixa quia ſunt in anni temporibus, media & potiſſimùm in ſolſtitialibus, ubi Sol conſiſtere videtur, mobilia non ratione temporum anni, quæ tunc ſunt conſtantiſſima & qualitates illorum temporum, quantum ad Solem attinet ſtudioſiſſimè cuſtodientia, ſed ratione circulorum; communia quia æquè de extremitatibus temporum anni frigidiorum & calidorum participiant.

35. Nec prorſus de nihilo aſtronomicè loquendo, eſt diſtinctio in ea, quæ directè & quæ obliquè aſcendunt, faciunt enim ad celeritatem diverſam aſcenſionis. Quod verò tortuoſa illa obliquè aſcendentia vocarunt & inde prognoſticon curvitatis & gibboſitatis in Nativitatibus quæſiverunt Aſtrologi, eo minus rectum, ſed tortuoſum de rebus, in quibus ſuprà alios ſapere videri volunt judicium prodiderunt.

36. Dividuntur ſextò ſigna Zodiaci in quatuor Trigonos, quam diviſionem ne prorſus aſpernemur conjunctionum magnarum viciſſitudo efficit, ſecundum ordinem ſignorum trigono ſeu tertia parte circuli ſibi invicem ſuccedentium, v. g. A. C. 1603. conjunctio magna fuit in Sagittario, Anno 1623. qui eſt ab illo vigeſimus, in Leone, Anno ab hoc vigeſimo ab illo verò quadrageſimo, qui erat à Chriſto nato 1643. (juxta medios motus & reſpectu Solis) in Ariete. Anno hoc 1663. iterum in ſagittario. Et ſic deinceps uſque ad Annum inde centeſimum & ſeptuageſimum circiter, ubi in ſequentem Trigonum ſignorum, Tauri, Virginis & Capricorni tranſire ſolet. Quod autem inde quatuor qualitatibus elementaribus pollere & differre ab invicem inferunt Aſtrologi, majori faciunt abſurditate, quàm ſi aſinum iiſdem qualitatibus pollere cum equo dicant, quod uterque quadrupes & ut Homerus loquitur μώνυξ ſit. Et tamen tantùm tribuunt huic comento Aſtrologi

 non-

nonnulli, ut eo utramque ferè paginam compleant prognoſtici tempeſtatis tanto futuræ vel calidioris vel frigidioris quanto plures Planetas, (quicquid ſit de propriis ipſorum, imò etiam fixarum in iis qualitatibus atque operationibus) in ſignis calidis vel frigidis inveniunt. Num ergò, dicat quis, de nihilo eſt illa conjunctionum magnarum per Trigonos viciſſitudo? Minimè. Quamvis quid ſub illa latere putem, aperire nolim loco eo, quem purè naturalibus & ſeculi periodum non implentibus deſtinavi, cùm conjunctiones magnæ ſeculorum mutationes reſpicere videantur. Videat, qui mea quæ ſit de hiſce ſententia cognoſcere cupit, Obſervationes meas de magnis conjunctionibus & oppoſitionibus Anno retrò decimo publicatas.

37. Ejuſdem farinæ eſt Zodiaci in membra humani corporis diviſio. Quod commentum licet ineptiſſimum vel pueri videant, ita tamen invaluit in venæſectionis electione, ut plurimi etiã Medici & quidem ex iis, qui rationali Medicinæ dediti ſunt, refragari non audeant, ſive, ne venæſectionis ex alio principio infelicioris culpa ipſis imputetur, ſive quod non ſatis exploratum putent, an non fortaſſè aliquid ipſis ignotum ſub tàm antiquo commento lateat. Ego ſanctè affirmo, me aliquoties iſtas regulas data opera in meis & me ipſo violaſſe, nec unquam quicquam inde ſenſiſſe incommodi.

38. Reliquarum diviſionum & inde natorum quæ ſignis Zodiaci affinguntur attributorum mentionem facere indignum eſt eo in loco qui ſeriis controverſiis enucleandis deſtinatus eſt, me certè puderet niſi plus iis quàm veris & ſeriis tribuere viderem Aſtrologorum regulas. Dividentium eas in Maſculina & fœminina, (diviſis ſcilicet in ſex paria præcedens Maſculinum ſequens fœmininum dicentes) imperantia & obedientia, pulchritudinis & deformitatis, fœcunda, paucorum liberorum & ſterilia, in humana rationalia, vocalia &

muta

& mūta, item obeſa & macilenta, villoſa & glabra, ingenioſa & ſtupida, philoſophica, muſica, vitioſa, luxurioſa, iracunda. Ut ſcilicet de omnibus, cùm vitiis, cùm virtutibus, & animi & corporis, prætextu aliquo in Thematum natalitiorum judiciis blaterare poſſint, nullo alio, ſi de fundamento quæras argumento niſi hoc, quod ſigna denominata ſint ab animalibus, eadem qualitate qualitercunque pollentibus. Cùm tamen certum ſit, tot attributorúm conſiderationem in imponendis hiſce nominibus, ne per ſomnum quidem in mentem veniſſe vel venire potuiſſe inventoribus, hominibus aggreſtibus opilionibus, nautis, de quibus etiam cùm aſtra intuerentur locum habebat illud Poëtæ:

Navita de ventis, de tauris narrat arator.

39. Et hæc, ſi Diis placet, principia ſunt, quæ per ſeſe nota et experientia comprobata & omni rationi irrefragabilia putare decet. Quæ tamen ut in ſeſe abſurdiſſima ſunt, ita ſi maximè ſpeciem aliquam probabilitatis aliquando habuiſſent, hoc unico tamen nomine hodiè evaneſcere debebant, quod per præceſſionem æquinoctiorum factum ſit, & magis magiſq; adhuc fiat, ut gradus ſignorum ii, qui olim iſtis imaginibus reſponderunt plus quàm viginti graduum intervallis abſint à ſtellis & imaginationibus iis, quarum occaſione vel, ut ipſi volunt argumento partibus illis cœli talia affiﬆa ſint. Aries certè partem capitis vix habet adhuc in ſigno ſuo, Taurus ne caput quidem, Gemini totum ferè Cancri, Cancer Leonis, Leo Virginis, Virgo Libræ & Scorpii, uno verbo, antecedentia ſubſequentium ſignorum regiones, partim totas, partim majori ex parte obtinent. Quo argumento igitur eoſdem effectus à partibus cœli quæ non niſi nomine eædem ſunt cum iis, quibus ſunt aſcriptæ, derivabunt nobis atque perſuadebunt?

 40. Ne

40. Ne tamen nullam omninò verſantium ſub Zodiaco Planetarum rationem habere viderentur Aſtrologi, domicilia etiam propria, exaltatione, fines, quaſi territoria dicas, inter ſigna conſtituerunt Planetis, quæ ut vana & origine idololatrica eſſe ipſi termini docent, ita per propriam experientiam ſuſpecta ipſis qui uſurpant reddita, oſtendunt ea quæ præter talia ſignis illis affinxerunt. Quæ enim cauſa quòd triplicitatem etiam inter dignitates & inde profectæ majoris efficaciæ conditiones poſuerint, qua planeta Trigono ſeu tertia parte à tali ſuæ dignitatis loco conſtitutus ejuſdem ferè efficaciæ cenſeatur? Quæ cauſa cur in mutatis domiciliis: v. g. Saturnus in Martis, Mars in Saturni domo, conſtitutus, idem poſſe perhibeantur, ac ſi in propriis eſſent domiciliis? (cujus rei exemplo Cicero in exilio plus potuit, quòd Clodius intereà domum illius occupaſſet imo diis conſecraſſet, quàm ſi vacua intereà manſiſſet) Quæ cauſa cur fines & quaſi territoria, omnes in omnibus ſignis habeant? niſi quòd experientia ſint edocti, planetas etiam extra domos exaltationes & Triplicitates verſantes non minus ferè poſſe, quàm in ipſis conſtitutos. Satis de ineptis attributis Zodiaci. Ex iis porrò, quæ prioribus & ſanioribus diviſionibus de Zodiaco dicta ſunt, intelligitur etiam uſus hac in parte reliquorum circulorum de quibus Aſtronomi in pura Aſtrorum doctrina agunt, videlicet Coluri, Tropici & Polares. Nihil ſcilicet agunt aliud, niſi ut oſtendant in Zodiaco & Æquatore ea quæ ad varietatem in fluentiarum cœleſtium aliquid videātur facere; Coluri quidem dùm puncta Cardinalia, Tropici dùm duos cardines ipſos æſtivum & brumalem, Polares, dùm polos tàm Æquatoris quàm Zodiaci oſtendunt. Secundarii verò circuli ut ab affectionibus pleriſque denominantur ita illarum commemoratione quem uſum hîc etiam habeant, pateſcet.

42. An-

42. Antequam autem ad affectionum mathematicarum penitiorem & ad effectus ſiderum ſpectantem contemplationem tranſeamus, non poſſumus præterire circulos domorum ab Aſtrologis extructarum, ne ſcilicet frigerent eorum prognoſtica, occupata tantùm in iis, quæ ſine hiſce è cœlo deducuntur. Hæ enim cellulæ quaſi ſunt rerum non tantùm naturalium, ſed etiam, & quidem majori ferè ex parte, contingentium, quarum prognoſtica ex domiciliis illis deducunt. Ut enim duodecim ſunt in cœlo ſigna & inde aſſignata propria cuique planetarum domicilia, ita in Thematibus ſuorum prognoſticorum cœlum in alias duodecim partes dividunt. Sunt autem inter circulos illos principales duo, Horizon & Meridianus quatuor mundi cardines ortum, Occaſum, Meridiem & Mediam noctem oſtendentes. Etſi enim in modo æquali cuſpis ut vocant, domus decimæ non eſt ille gradus Zodiaci, quem Meridianus tranſit, ſed nonageſimus illius ab Horoſcopo & Horizonte, quem Meridianus non ſemper interſecat. Habent tamen, qui eum uſurpant, ejus etiam puncti, quod Meridianus interſecat, aliquam rationem & Cor cœli vocant. Subdiviſionis unde reliquæ iſtæ domus extrahuntur modi varii ſunt, ex quibus quem rationalem vocant (reliquos ratione deſtitui innuentes) minimè omnium rationabilis eſt Nam. 1. Univerſalis non eſt reſpectu omnium terræ locorum, adeoq; principio illi, quòd *Natura* in iiſdem *eodem modo agat* διαῤῥήδην contrarius. Cùm ultra gradum elevationis poli 60. aut certè 63. conſtanter & omnibus horis datis obſervari non poſſit. 2. Quòd polos in motu determinando fingat ubi motus nullus eſt, in communi ſcilicet ſectione Horizontis atque Meridiani. 3. Quantò magis ſibi placet ille modus in eo, quòd partem cœli ſuper horizontalem & ſubhorizontalem ab invicem diſtinguat & in totidem utrobique partes dividat, quod ii etiam faciunt in Sphæra recta, qui ſua domicilia à polis mundi derivant,

tantò

tantò contrà imperfectior eſt, quod ſiderum perpetuæ apparitionis ſitum ſuperiorem ab inferiori qui ſiderum, quæ ſucceſſivè oriuntur & occidunt nocturnus; qui verò perpetuò apparent, nocturni loco eſt, non diſcernat.

43. Nobis ut ſummatim quid videatur dicamus, etſi perindè eſt, quibus modis diſcernantur loca inter Horizontem atque Meridianum media, niſi quatenus intelligi inde datur, quantò circiter intervallo à quatuor Cardinibus ubi maxima habent momenta ſiderum operationes, abſint: ſi tamen aliquid de intermediis etiam illis locis dicendum ſit, maximè probatur modus Alcabitii, tanquam in natura & motibus veris atque naturalibus fundatus: Ut ſcilicet, quæ partes in Sphæra mobili & quidem quatenus tali conſtitui debere videantur, eæ lineis per motus veri & naturalis puncta, hoc eſt, polos mundi diductas determinentur. Volunt ſcilicet rationales illi, ſi Diis placet, nocturnam cœli partem diſcernere à diurna, quaſi id hac ratione & perfectè & unicè præſtetur, nec modus Alcabitii idem, & quidem multò perfectius præſtet: quæ ſuperiora ſunt ſuperiori, quæ verò inferiora inferiori loco conſtituens, quantumvis illa ſuperiora ex parte & quidem minori infra Horizontem ſint. Sed tædet pluribus de his agere. Tranſimus ad affectiones & quidem eas primò, quæ inprimis mobilibus adeoq; omnibus ſideribus conſpiciuntur.

44. Demonſtrantur verò affectiones de ſideribus omnibus in univerſum ſequentes: Numerus, Quantitas, Figura, Situs, Motus & Apparatio. De numero plura dicere, præter ſuprà Theſi 11. dicta, nihil attinet. Quod verò illius exaggeratione moleſti nobis ſunt nonnulli, qui nihil de effectibus ſiderum dici putant poſſe, quia non de omnibus poſſit; ignaviâ duce faciunt. Flevit Alexander, cùm audiret eſſe, qui plures ſtatuerent mundos, ipſe autem unicum hunc in poteſtatem nondum redigiſſet; non tamen permiſit illi virtus ſua

ut

ut ceſſaret propterea unam poſt alteram partem ſibi ſubjicere. Ita tu, ſi animo generoſo ad perdiſcendas artes præditus es, in ſtadio illarum perge, ſaltem tantiſper dum Hercules tibi columnas figat, ultra quas tendere non poſſis vel debeas. Imò non Hercules, ſed argumentorum, quibus ad plura ſubinde penetrare peſſis defectus. Eſt ſanè magnus Aſtrorum numerus, præſertim ſi magnam illam, quæ viam lacteam conſtituit congeriem conſideremus, magna etiam qualitatum & virtutum varietas. Omnem tamen propterea etiam eorum, ad quæ penetrare poſſumus, indagationem vanam & otioſam putare, quæſo, cujus eſt niſi ignavi? Multa latent in corpore ægro, quæ Medicum etiam perſpicatiſſimum, atque experientiſſimum latent, accidunt Symptomata, quæ non prævidit, num propterea omnem morbi & corporis curam abjicit, aut abjectæ vel neglectæ culpam ſibi impingi patitur? Quid quod dentur in diſpenſatoriis deſcriptiones medicamentorum, pluribus refertæ ingredientibus, quàm Aſtra vel parùm præ reliquis conſpicua in cœlo numerant Aſtronomi, num ideò virtutem talium medicameneorum quo tendat, ſaltem quoad potiora ignorant? Unico illo verbo vani iſti inſcitiæ prætextus proſternuntur; *à potiori denominationem fieri*, & ſi ad omnia penetrare non poſſis ad eminentiora eò diligentius attendi debere.

45. Quantitatem & magnitudinem gradus virtutibus ſiderum conciliare per ſe conſentaneũ & ſaltem in Sole, qui cùm maximus ſit maximæ, etiam virtutis eſſe manifeſtum eſt. (quid diſtantia viciſſim videatur in quibuſdam demere, poſteà dicemus) Figuram eorum Sphœricam & fortè exactam in pleriſque ſenſus docet, (in pleriſque inquam. Martis enim figura triangularis, truncatis tamen angulis, Saturni tripertita per Teleſcopia apparet) Quod tamen an & quid ad efficaciam conferat, anxiè diſputare nolumus, præſertim cùm ſit, ut di-
ctum

ctum, rotunditas pleriſque communis, adeoque quomodo mutationes & mutationum, quæ hîc potiſſimum ſpectatur varietas, in his ſublunaribus inde dependeat, dici non poteſt.

46. Situs Aſtrorum tribus modis determinatur: 1. in ordine ad circulos cœleſtes. 2. Ad ſtellas & puncta reliqua. 3. ad centrum Mundi. In ſitu ad circulos cœleſtes conſideratur 1. Altitudo ab Horizonte, 2. Declinatio, 3. Diſtantia Horizontis. 4. Aſcenſio & Deſcenſio tùm recta tùm obliqua & illi reſpondens, Apparitio vel ſucceſſiva vel ſucceſſivè (in perpetuò apparentibus) diverſa. Longitudo & Latitudo, Medium cœli. Secundam claſſem conſtituit diſtantia ſtellarum ab invicem, & diſtantia à vertice. Tertiam diſtantia à terra.

47. Altitudinem à Horizonte quantò ſit major & diſtantiam à vertice, quantò ſit minor, tantò illic plus & tantò hîc minus ſtellis addere efficaciæ, reflexionum natura oſtendit. Quippe quæ, quòd tantò fortiorem efficiat radiorum efficaciam, quantò recto propior ad Horizontem ſit reflexionis radius, ex optica cum Phyſica collata ſcimus. Quæritur autem, an omnis expiret in iis, quæ ſub Horizonte latent, efficacia? Non exiſtimamus. Cum admodum ſit exigua craſſitiei terræ ad ſiderum diſtantiam proportio, & efficaciam aſpectuum & ſimilium de quibus poſteà, in intimis etiam conclavium noſtrorum penetralibus natura noſtra percipiat, quamvis minorem eſſe, quàm in iis, quæ ſupra Horizontem extant, & immediatè in ſubjecta agunt, cœcum neceſſe ſit eſſe qui neget.

48. Declinatio ab Æquatore, Longitudo & Latitudo in Zodiaco, nihil videtur addere vel demere ſtellarum efficaciæ, niſi quatenus ad reliquas affectiones partim jam dictas, partim circa ſecunda mobilia dicendas, determinandas conducunt. Auſtralis ſcilicet utraque, quia humiliores ab Horizonte exhibet minuit, ſeptentrionalis auget illorum efficaciam. Aſcen-

ſio-

ſionē augere & deſcenſionem minuere ſiderum in hęc inferiora efficaciam, docent ibidem ſaltem ea quæ de majore aut minore altitudine diximus. Et quæ eodem momento quo corpora naturalia oriuntur ſupra Horizontem aſcendunt aut ſaltem vicina iſtis ſunt, & inter maximè tunc efficacia eſſe & inſignem præ aliis cognationem per totum vitæ curſum cum iis quæ tunc in motu ſunt, v. g. naſcuntur, moriuntur, inſigniter alterantur habere experientia quotidie probat, ut pluribus Diſp. 3. videbimus.

49. Diſtantiam ab invicem cum ſit in fixis invariata, varietatis nullius cauſam poſſe reddere per ſe patet: In planetis quid efficiat & quidem ſi incerta proportione fiat, mox dicetur. Diſtantiam â terra quāto ſit minor tanto majorem, & quanto ſit major tanto minorē habere efficaciā, & recta ratio docet (quanto n. contactus fortior tanto & effectus) & experientia in Luna oſtendit, quippe quæ cum minor ſit pleriſq; ſideribus, quia tamen terræ proxima evidentiores omnibus, unico Sole qui magnitudine diſtantiam compenſat excepto, operationes habet. Qualis autem virium proportio videatur ſequi, quādo gradus ſplendoris magnitudine & diſtantia â terrâ interſe conferantur, periculum feci in Aſtrologia correcta privatim conſcripta & quid mihi viſum ſit provenire oſtendi in Nucleo Aſtrologiæ correctæ. Sed quia tenerior adhuc eſt hæc plantula quàm ut diſputationis publicæ tempeſtati tutò committi, aut etiam in praxi Medica magnopere obſervari poſſit, intra umbram & culturam experientiæ atq; indagationis ulterioris eam adhuc continemus.

50. Ad motum quod attinet, duplex ille deprehenditur in corporibus cœleſtibus. Primus & ſecundus. Primus quo ab ortu in occaſum, ſecundus quo ab occaſu in ortum feruntur. Primus omnibus ſideribus communis ſecundus planeta-

rum proprius eſt. Solent & alii duo motus tradi, trepidationis & præceſſionis æquinoctiorum. Sed hi motus ſi tamen propriè loquendo motus dici debent, tardiores ſunt quàm ut in noſtro propoſito quo ulterius quam ad ætatem hominis unius non reſpicimus, attendi poſſint. Quomodo tamen per hunc præceſſionis motum & inde profectam initii & finis ſignorum Zodiaci determinationem Aſtrologorum vulgus in proprietatum varietate ſignis Zodaici qua talibus aſſignanda in ruborem detur, ſi ſecula quibus inventa ſunt commenta illa cum hodiernis conferanrur, ſupra audivimus.

51. Revertimur itaq; ad veros & ſenſibiles motus, primum potiſſimum. De cujus ſubjecto modo & effectis monenda quædam occurrunt. De ſubjecto controverſiam nobis facit primo Copernicus, terram corpus iners & ad quietem factum cœleſtibus ad faciendos motus ſubſtituens, ſurdus hactenus cum ſuis aſſeclis ad demonſtrationes Phyſicas in contrarium adductas, ſuffragari ſcil. quicquid contradicatur, apparentias. Quod autem hæc Tychonicis etiam ſuffragetur dudum docuerunr Tychonici, quod inſuper ſenſui & demonſtrationibus Mathematicis inde extructis refragetur, oſtendiſſe mihi videor in Phyſica mea Ariſtotelica. *Part. Spec. l. 1. c. 2. Theor. XI.* Deinde circa idem motus ſubjectum controverſia eſt hodiernis Aſtronomis cum antiquioribus & ipſo Ariſtotele, quorum hi Aſtra nonniſi cum orbibus ſuis verti crediderunt, quod de fixis ſuo loco relinquimus (videant qui volunt Phyſicam noſtram) In planetis verò locum non habere docet tùm refractio tùm penetratio dimenſionū, utraq; ſecutura, ſi orbes corporei & quidem diverſis motibus prædití, in cœlo darentur Nec latuiſſe hoc videtur Ariſtotelem noſtrum qui cum multa de ſtellis cum orbibus in motu ſuo revolutis dixiſſet, non difficulter locum inventura in orbe ſtellarum fixarum, cum ad Planetas etiam accommodanda ſibi videret, commomerato ordine

dine

dine orbium ipſorum, ad Aſtrologiam (ita tunc vocabatur Aſtronomia) nos ablegat. *2. de Cœl. c. 10. T. 57.* Hæc de ſubjecto.

52. Ad id quod attinet, quomodo duo motus contrarii ut videntur ſibi invicem reſpondeant, miſerè laborarunt Aſtrorum inter Phyſicos contemplatores, planetas motu ſuo proprio ab occaſu verſus ortum tendentes, â Sphæra ſtellarum fixarum vi quadam circumduci & rapi. Et poſtea quærunt violentus ne ſit hic motus an verò naturalis. Violentum dicere non audent, cum contradictionem involvat, ſimul & naturæ orbium convenire & violentum eſſe. Sed ſi ad motum ſiderum cujusmodi eſſet rectè attendiſſent, facilè hiſce ineptiis carere potuiſſent. Cum motus planetarum quatenus â motu primo differt, peculiaris motus non ſit, ſed prioris & ejus qui omnibus ſuo modo communis eſt modificatio. Ubi ſcilicet planetæ dum æquè ac fixæ interno atq; naturali naturæ ſuæ inſtinctu ab ortu in occaſum moventur, ſimul interim partim propter tortuoſam internarum corporis ſui partium diſpoſitionem, partim ob ſympatheticum & magneti cum quaſi Solis circâ ſeſe ductum â tramite fixarum directo nonnihil flectuntur, & quaſi retardantur, ut diurnam revolutionem non totam cum reliquis ſideribus videantur perficere. De magnetico illo motu & ſympathia Solis atq; planetarum reliquorum vide *Kepl. Epit. Aſtron. l. 4.* ad Copernicanas quidem Hypotheſes de motu terræ quem cum planetis communem habeat directo, ad Tychonicas tamen etiam ut in compendio Phyſicæ Ariſtotelicæ, *part. ſpec. l. 1. c. 2. Th. XVI. & ſeqq.* docuiſſe mihi videor, accommodabili.

53. Ad motum, primum potiſſimùm, ſequitur ortus Aſtri & occaſus, quem duplicem faciunt Aſtronomi, Aſtronomicum & Poëticum, vel potius unius ejusdemq; ortus duplicem deſcriptionem: Aſtronomicam & Poëticam. Aſtrono-

mica fit juxta circulos Aſtronomicos, Æquatorem potiſſimum, ubi cum quoto æquatoris gradu oriatur ſi ortum Aſtronomicè deſcribere volumus indicamus. Hic ortus nihil importat aliud in effectibus Phyſicis, niſi quod ſtella majorem & evidentiorem efficaciam quam ſub Horizonte habuerit cum oritur acquirat. Ortus Poëticus ſeu Poëtica ejus deſcriptio fit cum relatione ad Solem unà vel ex adverſo orientem vel occidentem; & triplex ſtatuitur; Coſmicus quando ſtella cum Sole oriente oritur, Acronychus quando ſole occidente ipſa oritur, Heliacus quando, poſteaquàm ſub radiis ſolis latuit, poſt ejus in antecedentia ab ipſa motu proprio factam diſceſſionem, mane oriens conſpici incipit. Hic ortus ſemper antecedentem ſe habet ortum Coſmicum. Quippe in quo ſub ſolis radiis latet, poſt diſceſſum autem ejus per motum proprium aſcendens mane ante ſolem conſpici incipit. Ita ſe habet ortus. Occaſus Coſmicus, eſt Aſtri ſub Horizontem deſcenſio Matutina ſole è regione aſcendente. Occaſus Acronychus eſt Veſpertina Aſtri unà cum ſole deſcenſio. Occaſus Heliacus eſt, quando Aſtrum quod antea poſt occaſum ſolis conſpici poterat, appropinquante ad illud ſole conſpici deſinit.

54. His ortuum & occaſuum ſpeciebus Ανάλογος eſt culminatio, imò in Sphæra recta cum illa coincidit. Quando ſcilicet ſidus una cum Sole Meridianum ſubeundo ſtringit.

55. Hi verò ortus atq; occaſus, adeoq; etiam culminatio ad ortum Coſmicum ut diximus ſuo modo & loco referenda, habeat aliquid in receſſu nec ne, ut quæreretur, occaſionem præbuerunt, rei ruſticæ, pecuariæ & nauticæ ſcriptores, tùm ſolutæ tùm ligatæ orationis, hoc eſt poëtæ, vel potiùs ipſi ruſtici, opiliones & nautæ. Quibus illi ortus & occaſus Calendariorum inſtar fuerunt, tempora ſationis meſſis, trituræ & aliorum operum ruſticorum indicantes. Quos, quia tempeſtatum & juxta has valetudinis etiam in hominibus mutatio ſecuta eſt; itaq; Hippocrates etiam attendi voluit.

56. His ne inferiores viderentur Aſtrologi, præſertim poſteriorum temporum (nam ad Ægyptios ex quorum cerebro Perſarum, & Chaldæos ex quibus Alexandri arma Minervam illam tanquam alter Vulcanus è Jovis cerebro excuſſiſſe demum videntur, planetarum tantum vires celebratæ ſunt, nec ſine ratione: quòd in his ſolis aliqua, in fixis verò nulla, niſi quæ ex horum ad illos appulſu naſcitur accidat varietas) ſed in quam Aſtrologi non tantùm ad illa ruſtica ſed omnia totius Anni tempora omnium inſigniorum ſiderum ortus reſpicientes, quas obſervarunt tali eorum ortu tempeſtates illis aſcripſerunt. Quamvis ſuo ſeipſos gladio plerunq; videantur jugulaſſe. Si enim adeò certæ ſunt illæ fixarum in ortu ſuo obſervationes ; ocioſos interea planetas fuiſſe neceſſe eſt.

57. Cùm ergo experientiæ fides lubrica hîc ſit, per rationes Phyſicas quid fieri hîc poſſit, diſpiciendum videtur. Ortum Coſmicum itaq; in ſphæra rectâ ubi eundem cum culminatione dicimus, & Acronychum in eâdem effectu non carere exiſtimamus, non tantum quòd ſidus unâ cum ſole tali ſitu & Horizontem & Meridianum ſtringat, ſed & quòd in eodem circulo Horario ſint ut ita radios per totum diem tanquam in conjunctione aut oppoſitione quadam commiſceant, quæ conſtellatio ideò ſaltem non prorſus videtur negligenda, quia alia nulla oſtendi poteſt ratio, qua ſingularis aliqua certo tempore vis ſtellis fixis aſſignetur. In Sphæra autem obliqua laterem putamus lavare, qui vires alicujus aſtri ex ortu vel occaſu ejus cum ſole venari conetur. Ut enim in ipſo ortus momento aliquis illius ſit effectus; ad totum tamen diem proportionem non majorem habere poterit, quam momentum ad tempus, punctum ad lineam, hoc eſt nullam. Ortus verò Heliacus ſi de eo tantum tempore intelligi debet, quo ſidus emergit ex radiis ſolaribus, idem quod de Coſmico in Sphæ-

ra obliqua diximus, præbet de ſe judicium. Si vero ad tempora ſubſequentia quibus immunis â ſolis radiis ſupra Horizontem aſcendit, vis ejus extenditur, non eſt ea peculiaris ab omni omnium ſiderum in aſcenſione ſuâ efficacia, nulla ſcilicet extra punctum ortus in iis quæ tempore eodem vel naſcuntur vel corrumpuntur vel ſimilem mutationem Phyſicam patiuntur, de quo ſequentibus diſputationibus σὺν θεῷ videbimus.

58. Placet hæc accommodare ad dies caniculares quos ſcholares non ſine ſummo deſiderio expectant, Medici Chirurgi & quiqui Medicinam tractant, tanquam ſcopulum refugiunt. Duo autem ſunt ſidera canis nomine inſignita, majus & minus; illud vocant Sirium ſeu canem majorem ſplendidiſſimam ferè ſtellam ex omnibus fixis, hoc, Procyona, quaſi canem præcurrentem dicas item caniculam. Sirius hodie culminat cum ſeptimo circiter cancri, quem decem diebus circiter ſequitur canicula, quod tempore Hippocratis juxta præceſſionem æquinoctiorum ſub ducto calculo, in geminos adeoq; in Maij medietatem aut paulo prius recideret. Quod tempus ſi pro medio reputes dierum canicularium, tribuendo illis ſeptimanas quatuor vel ſex, initium tunc recidiſſet in medium circiter Aprilis. Ortus Coſmicus Sirii hodie ſub Elevatione poli Alexandrina ubi & Ptolomeus habitavit & ortus hic propter Nili exundationes ipſi ut putabant reſpondentes obſervatus eſt, recidit in principium Leonis, adeoque in noſtrorum ferè canicularium initium. Subtrahe iterum ex lege præceſſionis Æquinoctiorum Hippocratis tempora, & venies paulo ultra medietatem Junii adeoq; ſolſtitii æſtivi ferè tempus quo exundationem Nili fieri Plinius dixit. Quod autem Salomon Schweicker. *in itinerario Turcico* dicit, magnã ejus partem in Martio â ſe & ſociis obſervatam, hoc ita cum Plinio cõciliandum duco, ut hunc de medio & maximo incremento, il-

lum

lum de initio accipiendum exiſtimem, quamvis cum nimis longè hodie abſit â caniculæ ortu non tantum Coſmico, ſed & culminatione, firmiter hinc colligatur incrementum illud Nili cum canicula nihil habere comercii. Ita ſe habet ortus Coſmicus Sirii, Heliacus verò in Auguſtum, Acronychus in mediam hiemem recidit, neuter ergò illorum ad dies caniculares ab æſtus vehementia & in ſalubritate adeò infames referendus erit.

59. Ut ergò ad Coſmicũm canis ortum revertamur, omninò ſtatuo, ſi & hominibus & beluis non plus â canibus terreſtribus eſſet metuendum, quàm â cœleſti, eſuriales ferias â ferina utrisq; dudum celebrandas, fures verò cum vulpibus, & lupis pileo libertatis dudum donandos fuiſſe. Cum nulla appareat ratio, cur Sirius tantum virium vel â Sole accipiat, vel illi impertiatur, quantum metuitur, & quidem ad tantùm tempus quod de nullâ aliàs fixâ in tali ortu affirmatur. Cùm in ortu Coſmico ne quidem in eodem circulo cum Sole ſit niſi in Horizonte, & quidem ad momentum ut diximus, & ubi proximus illi eſt, quod fit in culminatione plus 39. gradibus, tanta enim eſt ipſius latitudo, ab ipſo abſit. Cui diſtantiæ vim conjunctionis tribuere, quam ſit abſurdum cœcus videat. Si verò id aliquid valet, quod ſint in eodem circulo horario ſeu declinationis, non niſi ad diem aut parum ultra, vim habebit. En quàm egregiè iterum fabulis nos paſcat, & quidem poëticis vulgaris Aſtrologia. Nullus ergò metus â cane cœleſti in ſe, quid verò æſtus ſolis tunc intenſior monere circa electiones nos debeat, in diſputatione de Electionibus, DEO volente, dicemus.

60. Porrò quia idem qui de ſtellis fixis inquirendi occaſionem nobis pro ſua etiam parte dedit, Hippocrates nimirum, etiam de æquinoctiis dedit: Quid de his ſit ſentiendum eadem occaſione quærere libet? Reſpondemus; ſi mutationes illæ ubi non tantum

Solvitur acris hiems grata vice Veris & Favori.

Sed & ob exhalantes è ſinu terræ vapores non adeò interdum ſalubres & ſimiles cauſæ, evidentes præ aliis eſſent eo die, quo Sol per Æquatorem tranſit, non dubium mihi futurum, quin ipſi aliqua ſaltem ex parte eſſent tranſcribendæ. Cum verò nihil ejusmodi appareat; in univerſalibus, Naturæ operationibus & cauſis inferioribus acquieſcendum putem. Si quis tamen ipſo æquinoctii momento aut hora natus eſſet, non putarem prorſus immunem ab omnibus mutationibus futurum. Id certè memini, ſub ſimili poſitu, tranſitus nimirum Lunæ per nodum deſcendentem momento filiolam mihi, ægrotantem quidem non tamen ita vehemenrer, ut mors tàm propè imminere videretur, ſubitò ereptam.

61. Fit a. motus planetarũ proprius ut ad ipſum revertamur ab occaſu verſus ortum, non tamen directè ſed obliquè, ſub Zodiaco nimirum (qui ideò ab Ariſtotele λοξὸς κύκλος dicitur) æquatorem ad angulos 23. graduum & 30. minutorum, ut fert Aſtronomorum hodiernorum obſervatio, interſecante, cum contrà motus primus ad regulam Æquatoris fiat, ita ut omnia ſidera ipſi parallela incedant. Sunt autem planetæ ita ſub Zodiaco ut unicus Sol in linea ejus media quam Eclipticam vocant perpetuò maneat, reliqui ſex nunc in dextro nunc in ſiniſtro hujus circuli latere conſpiciantur, interſecantibus ſcilicet circulis eorum mediam illam lineam, quod quãdo fit â Luna tempore conjunctionis vel oppoſitionis Eclipſes fiunt. Puncta interſectionis ab Aſtronomis nodi vocantur. Aſcendens quidem illud ubi ad ſeptentrionale, deſcendens ubi ad auſtrale latus â puncto illo planeta tendit, Aſtrologi illud caput, hoc caudam draconis vocant, & quamvis ſint nuda puncta, qualitates Planetarũ imò ſerpentinis ſimiles ipſis aſſignant hac unica occaſione quia circuli duo ſeſe interſecantes ſpeciem referre videntur draconis, cujus medium & quaſi ven-

venter referatur à maxima latitudine penes limites, caput verò & cauda (utrumq; ſcil. acuminatum) ab inter ſectionum angulis & quaſi aculeis. Eſt verò hic planetarum motus in omnibus & quidem etiam in ſole inæqualis quoad apparentiam cæleritatis & tarditatis. In quinq; planetis, huic tarditatis & velocitatis viciſſitudini accedit etiã motus retrogradus, quem imminentem proximè antecedit & abſolutum ſequitur ſtatio (illa prima hæc ſecunda dicta) ubi quoad motum proprium prorſus inſtar fixarum conſiſtere videntur.

62. Hæc motuum Planetariorum viciſſitudo mira opinionum monſtra peperit apud Aſtrologos non modo ante Ptolemæũ cui σύγχρονος fuit Galenus, quo quantę adhuc tenebræ fuerint in rationibus Motuum Planetariorum Mathematicis quę hodie expeditiſſimę ſunt, reddendis, etiam apud ipſos Chaldæos & eorum diſcipulos, facile colligitur ex Vitruvio qui Augufti Imperatoris temporibus vixit. *l. 9. c. 4. & ſeqq.* Quamvis enim deprehenderit, quod ipſe Ptolomæus neſcivit planetas Solem tanquam centrum (non tamen exquiſitum) circuire, motus tamen Retrogradi ex ipſo hoc, ut hodie deprehenditur, dependentis rationem reddere non potuerunt. Sed, ut dixi non tantum ante Ptolomæum ſed & poſt ipſum, imò poſt Alphonſi tempora, quantæ hac in parte tenebræ fuerint, oſtẽdunt ſequentes *Aphoriſmi Bethem* in ipſius *Centiloquio*; *Scias*, inquit, *quòd quando Planetæ ſunt retrogradi, ſunt ut vir infirmus, ſtupefactus, ſolicitus. Cadens vero* (quando deſcendit ab Apogæo, circuli ſui) *eſt qſ. mortuus cui nõ eſt motus*, cõbuſtus (quid hoc ſit theſi ſeq. dicetur) *ut captivus, incarceratus, vituperatus absque poſſe. Stans ad Retrogradationem, ut ſanus â quo recedit ſanitas, ſed remanet parum de ea, ſtans ad directionem ut æger poſtquàm cõvaleſcit & videt initium ſuæ ſanitatis.* Hęc deliria ſi conferas cum rationibus harum affectionũ quæ hodie redduntur ab Aſtronomis, materiam riſus ampliſſimam ſcito te inventurum.

63. Nos contrà ſtatuimus, Planetarum vel Stationariorum vel Retrogradorum effectus (quicquid ſit de ſignificationibus politicis de quibus hîc non agimus) omnium eſſe fortiſſimos, propterea, quòd diutius in eodem loco perſeverantes, influentiarum ſuarum fortius imprimendarum occaſionem habeant, ut ſuo tempore clarius ex iis quæ de Tranſitibus dicturi ſumus, apparebit.

64. Ad id quod de combuſtione, oppreſſione, & contrà ſeſſione in corde Solis dicunt Aſtrologi, quod attinet, ſumma illius commenti eſt hæc; Quando quinq; Planetarum aliquis (excepta ſcilicet Luna, in hac enim nimia experiendi facilitas & , ſi vellemus uti, frequentia, dudum illos in ruborē dediſſet) Soli in lōgitudine & latitudine intra octodecim minuta gradus cōjunctus eſt, in corde ſolis verſari & feliciſſimū eſſe dicunt, ubi v. Sol ab ipſo receſſerit & plus octodecim minutis ab ipſo abfuerit, quod trientis diei circiter ſpacio fit, intra tamen ſextum gradum adhuc ab ipſo abfuerit, combuſtus, ſi intra 15 gradus, oppreſſus dicitur. Omittamus quæſo argumenta Mathematica & Phyſica quibus in abſurditatem hujus commenti inquiramus, v. g. num intus in corde ſolis verſari dici poſſit, qui ſemper ſolem tanquam centrum circuli ſui circum ambulat? num ulla mutatio adeoque combuſtio in cœleſtibus corporibus deprehenſa? quo cataplaſmate aut unguento adhibito Planetæ à combuſtione iſta convaleſcant? Sed omittamus hæc apud eos quorum ſcientia hoc ipſo nomine deprædicatur, quod ſciant ea quorum ſcientiæ ratio reddi nulla poteſt. Experientiam quam unicè jactant conſulemus. Dicat mihi Aſtrologus quisquis eſt, unius experimenti exemplū quo deprehenſum ſit, Planetam aliquem ſpacio octo aut plurium unius diei horarum & fortiſſimum quod ſit in *Kazymi* (ut vocānt Arabes quando in corde ſolis eſt,) & debiliſſimum quando combuſtus eſt, quod paulo plus octo horis & ante & poſt cordialem illum in Sole ſitum fieri dicunt, fuiſſe. Vide quæſo, vide lector, quam impudens ſit Aſtrologiæ vulgaris in experientiæ gloriatione ſupercilium, *& crimine ab uno diſce omnes.*

64. Maximè contrà præ virtutibus omnium Aſtrorum evidens eſt illa quæ ab Aſpectibus provenit, efficacia, quam propter ſubtilitatem inter tot ineptias, & propter veritatem inter tot mendacia Aſtrologica tamdiu perdurare potuiſſe ſæpè miratus ſum. Sunt autem *conjunctio*, in eodem gradu Zodiaci, *Oppoſitio*, ex Diametraliter oppoſitis; *Quadratura* quādo quarta, *Trigonus* quando tertia, *Sextilis* quando ſexta parte circuli ab invicem abſunt. Ratio hujus efficaciæ, non difficulter fortaſſè reddi poſſit, in conjunctio-

junctione & oppoſitione, cùm utrobiq; planetarum radii (præſertim cum ſint effectus contrarii) ſe invicem excitare quaſi atq; ſtimulare videantur. In reliquis autem nemo rationem reddi putavit poſſe antè Kepplerum, imò hodieq; (obſtante ſcilicet Axiomate quantitatum nullam eſſe efficaciam) minus probabilis multis videtur hæc ſententia. Sed primò ſciamus non aſcribi propriè efficaciam Aſpectibus hac ratione , ſed tantum efficaciæ modum. Quemadmodum gladius acutus altius penetrat quàm obtuſus. 2. Meminerimus agentia & Naturã & corpora Naturalia afficientia duplicia eſſe, propria & Metaphorica. Vide ſi placet Phyſicam noſtram *Part. Gen. l. 1. c. 3. & part. ſpecial. l. 2. C. 1. def. 9.* Sufficit quippe naturam ſublunarem ita eſſe comparatam ut apta proportione eorum, circa quæ vel ipſa verſatur, vel quæ in ipſam agunt, afficiatur, ut quemadmodum oculi συμμετρία, aures harmoniâ, reliqui ſenſus aptâ qualitatum ſenſibilium mixturâ, ita omnia in univerſa natura aptâ proportione qualis eſt aſpectuum delectentur.

65. Et hanc doctrinam Kepplero acceptam ferimus, quamvis in duobus correctione opus habere videatur. Primò in aſpectuum numero, quem quinariâ octonariâ & denariâ circuli diviſione & oriundis inde variis adhuc proportionibus auxit. Ego rem in medio relinquo. Quippe qui certus ſim, ſi maximè aliquid in talibus aſpectibus hæreat, neceſſariò tamen imperfectius illud & minus evidens prioribus eſſe. Quòd tales menſuræ partibus Zodiaci (ê lunationibus oriundis) non ſint commenſurabiles. Cui rationi accedit in pleriſq; etiam hoc, quod partes ſenario plures proportionem etiam diſſonam (cujusmodi eſt 1. & 7.) ſuppeditare poſſint. Unde colligitur imperfectam pro harmonia eſſe ejusmodi circuli diviſionem. Et tam multarum partium diviſiones ſi acceptarentur, vix hora eſſet, in qua non aliqua alicujus planetæ vis ſingulariter ſentiretur. Cujus argumenti vim ſentiens haud dubiè Kepplerus, omnem vim aſpectibus Lunæ (in qua tamen tanquam evidentiſſimi primùm haud dubiè deprehenſi ſunt) abrogavit, tanquàm quotidianis, & nullo novitatis ſtimulo naturam vellicantibus, ſuperiorum verò aſpectus ad ipſa puncta aſtrinxit, excluſis aſpectibus platicis. Utrumq; contra experientiam tùm in Nativitatibus tum tempeſtatibus, ubi Aſpectus ſuperiorum etiam platici â Lunaribus in actum quaſi deduci, ita ut Luna appulſu ſuo ad duos planetas ſe invicem aſpicientes multo evidentiorem eorum operationem quàm reliquis diebus faciat, idq; non tantum in aſpectuum puncto ſed etiam ἐν πλάτει iter diurnum Lunæ non excedente, præſertim in appulſu deprehenduntur.

66. Alterum in quo nimis ſpeculationibus ſuis indulſiſſe videtur, eſt anima telluri propterea, quod Harmoniã ipſam aſpectuũ ſentiret, aſcripta. Sed de hoc ſequenti Diſputatione.

67. Atq; hæc de aſpectibus præcipua eſt affectionum Mathematicarum ex quibus aliqua in Phyſicos effectus redundat varietas. Ex hac ſequitur, in Luna potiſſimum (potiſſimum inquam, nam in Venere etiam deprehenditur) augmentum & decrementum luminis. Imò non ipſius luminis in ſe, niſi in Eclipſibus lunaribus, ſed partis majoris de parte illuminata ad nos converſio, qua fit, ut Luna & propter aſpectus fortius in hæc inferiora agat & illa commoveat, & propter lucis ad ea converſæ partem majorem, humoris majorem copiam in iis excitet. vide *Ariſt. de part. an. l. 4. c. 5. circa medium.*

68. Ad Eclipſeon effectũ quod attinet, ſit ne ille revera ita pernitioſus ut putatur vulgò, non injuriâ quæritur? Hîc notũ quibus opinionum portentis & inanibus terriculamentis mundum oppleverint φλυαρίαι Aſtrologorum quorundam (quorundam inquam, extiterunt enim ſcripta in contrarium, ſed quia turbabant aucupium lucri apud Typographos, usq; ad eventum ſuppreſſa) circa Eclipſin Anni 1654. ubi etiam, præſertim quòd accederet conjunctio Saturni & Martis, q; etiã A. 1558. contigit) venenatæ qualitates defluxuræ præcinebantur. Aliud contra in manus mihi eodem tempore venit manuſcriptum, quo omnis effectus, qui noceret, Eclipſibus derogabatur. Quia ſcilicet nihil ſint aliud, quàm luminis Solis interceptio, quæ ſingulis noctibus fiat. Ad id uti tunc reſpondebam *in dedicatione calendarii A. C. 1656.* ita hodieq; reſpondeo; ſi nihil haberent incommodi Eclipſes, hoc ſaltem habere, quod ſint conjunctæ cum quadam perturbatione Naturæ, quæ, cum expectet lucis vel renovationem vel plenitudinem, contrarium cogatur experiri. Nec eſſe ſine incommodo privationem luminis etiam ordinariam & quotidianam, experiuntur ægri, deterius plerumq; habentes nocte quam die, nedum, ſi extra ordinem, imò tunc fiat cum lucem univerſa Natura expectet.

69. Orientales an occidentales ſint Planetæ quid importet quærenti reſpondemus, Orientales, hoc eſt ut ante ſolem oriantur in parte cœli Orientali, Occidentales verò hoc eſt ſi poſt ſolem oriantur in occidentali parte Cœli, fortiores, contrà debiliores eſſe, (ſiquidem minus quadrante circuli à ſole diſtent, in longiori enim diſtanti a nihil importat hic ſitus) quia à radiis ſolis non impediuntur. Hæc pro fundamentis ſufficiant, cætera Deo volente in ſequentibus Diſputationibus.

Interim Soli DEO Gloria.

ASTROLOGIÆ MEDICÆ
DISPUTATIO SECUNDA
DE RESPECTU
CORPORUM NATURALIUM
AD SIDERA IN SE AGENTIA.
RESPONDENTE
JOH. CHRISTOPHORO WAGNERO
NORIBERGENSE

THESIS. 1.

POſteaquàm quæ ſit corporum cæleſtium natura quæve operationes in hæc inferiora, diſputatione prima determinavimus, reſtat ut ad ſpecies deſcendamus & potiſſimum de reſpectu horum inferiorum ad ipſa agamus, ſapienter quippe dicente Scaligero *Exerc. 16. Receptivum non recipere per modum imprimentis ſed per modum receptivitatis ſuæ.*

2. Quemadmodum ergo antecedenti Diſputatione ubi virtutes Aſtrorum rimati ſumus doctrinæ de ſtellis, quam Aſtronomiam vocant, ordinem ſumus ſecuti; ita nunc, ubi de receptivitate corporum operationi ſiderum ſubjectorum dicendum eſt, ſequemur ordinem ejus Doctrinæ quæ corporum horum Naturam declarat, hoc eſt Phyſicæ, & â principiis ejus initio ſumto, ſpecies corporum ſingulas perluſtrabimus, & quid corpora cæleſtia in iis agant, quidve ipſa mutationis inde patiantur, dicemus.

3. Ad Principia quod attinet, & primò ad materiam; quẽadmodum illa commune ſubjectum eſt & fundamentum quaſi omnium mutationum Naturalium; ita circa illam, vel potius neglectionem illius gravis occurrit error, qui fons eſt omnium ferè errorum apud vulgus Aſtrologorum, ut ſcilicet ſecuri conditionis materiæ atq; ſubjectorum, omnia ex Aſtris unicè derivent, aut, ut Kepplerus *l. 4. de Harm. Mundi cap. 7.* loquitur, *ſic deſcribunt ſiderum apoteleſmata, acſi illa dii quidam eſſent, cœli terraq; potentes, omniaq; ex arbitrio agentes: ſecuriſſimi quo medio illa unumquodq; perficiant apud nos in terris, cum ipſa in cœlo maneant, nec quicquam quod ſenſibus patet ad nos præter radios lucidos demittant. Hæc præcipua ſcaturigo eſt fœdiſſimarum ſuperſtitionum Aſtrologicarum.* Hæc Kepplerus. Cætera non adiicio, ubi calamum in Philoſophos Univerſitatum ſtringit, tanquàm oſcitantes ad conſiderandam naturam inferiorum, quomodo ea ſuperioribus reſpondeat, quia non amplectantur ipſius ſententiam, quam tetigimus *Diſp. 1. theſi 66.* & mox in Elementorum doctrina pluribus perſequemur. Nos ad principia noſtra, & quidem ea ad quæ diſcenda Kepplero monitore nec nos nec patres noſtri opus unquàm habuimus vel adhuc habemus, nos convertemus, & quæ monenda ex iis hoc loco ſunt, monebimus.

4. Dicimus itaq; etſi ut ex Diſputatione antecedente conſtet, ſidera ſint cauſæ omnium mutationum ſublunarium & quidem quarundam proximæ, ſaltem hoc ſenſu, ſi proximum id dicas quod proximè effectum tangat: non tamen eſſe ſolitarias, nec in omnibus, imò pauciſſimis, ita proximas, ut poſitis illis res ponatur, remotis vel ceſſantibus ipſaquoq; ceſſent; ſed eſſe cauſas efficientes. Efficiens autem in Phyſicis ea eſt noſtro Ariſtoteli, *cujus eſt motus.* ut autem hic vel ille effectus ſequatur, non tàm eſt penes cauſam moventem, quàm penes naturam ſubjecti ſeu materiæ, motionem illam recipientis: hæc, ut verbo dicamus, in rebus naturalibus pleriſq;

riſq; cauſa abſolutè proxima eſt. Hæc in cauſa eſt ut ſol v. g. non modo calefaciat, ſed & calore ſuo ea producat, quæ in Elementorum ſinu, quamvis non actu, ſaltem tamen potentiâ delitu erunt.

5. Non eſt itaq; ſcopus noſter a vocare Medicinæ deditos â cōtēplatione ſubjecti ſui & ad ſola ſidera ablegare. ſed id tantum agimus ut quomodo ſidera in inferiora agant, inferiora autem illis reſpondeant perſpecto, quomodo utriq; ſatis fieri ex arte ipſorum poſſit diſpiciant, atq; ita motio medica motioni cæleſti vel ad ſalutem ægri tendenti aptè conſpiret, vel perniciem molienti debito modo occurrat atq; reſiſtat.

6. Circa Formam occurrit nobis Fernelius in ſuo tractatu de *abditis rerum cauſis*, ubi formas rerum â cœlo derivat. nec longè abſunt ab illius errore, qui quamvis eum refutare volentes, quintam tamen quandam eſſentiam inferioribus cauſis nihil debentem commenti, â cœlo deducunt. Datur ſane omnibus in rebus quæ ex Elementis componuntur, quinta hoc eſt diverſa â quatuor Elementis eorumq; formis forma atq; eſſentia, non tamen ita quinta, ut quinto illi corpori hoc eſt cœlo principium materiale debeat unde ſcilicet in hæc inferiora influxerit. ſed reſuitat ea ex principiis inferioribus & conditione ſeminum ſuorum, nihil aliud præſtantibus ſideribus, niſi ut agant & naturam diſpoſitionibus remotioribus dudum affectam, propius quaſi diſponant, & ad hoc vel illud ſuæ Naturæ competens edendum ſtimulent. Hæc circa principia monenda erant.

7. Affectio corporum Phyſicorum præcipua & ita præcipua, ut omnes ſub ipſa comprehendantur vel ab ipſa oriantur, eſt Motus, ſenſu dictus Ariſtotelico non hodierno quorundam novatorum, ſolum localem (maximè ſane propriè ab ipſo Ariſtotele ita dictum non tamen unicè pro motu habendum) ita vocantium. Quamvis inter ſpecies motuum quatenus cœlo ſubiacēt, ne præcipua quidē ſit: ſed potius generatio & ei

oppoſita corruptio cum prævijs ſuis alterationibus, præaliis ut colligitur ex Ariſtotele ſecũdo de Gen.& Corr. T. 57. 58. Alterantur quippe corpora â cœlo & alterationem plerumq; vel generatio vel corruptio imò utrumq; ſequitur.

8. Ad reliquas ſpecies motuum quod attinet, Augmentatio ſanè & Diminutio etſi quomodo immediatè â cœlo dependeant oſtendi non ita facile poſſit; quia tamen in iis quæ nutriri imò & quæ generari ſuo modo & progeneratione alterari incipiunt, quòd â prioribus dependeant natura nos docet (v. g quando ex ovo fit pullus tùm ille nõ tantũ diverſum quid fit ab eo quod ante erat, ſed etiam major,) nec ipſa quoq; cœlo obedientiam ſuam denegare poterunt. Motus vero localis conſpicitur inter alia in iis quæ creſcunt, altius aſſurgendo ut plantæ, majus ſubinde ſpacium occupando ut reliqua. Manifeſtius exemplum ſuppeditant ipſa cœleſtia in ſeipſis quando ſe in vicem movent, ut jam audiemus.

9. Cum itaq; quid corpora in genere eorumq; principia cœlo debeant, hactenus dixerimus; ad ſpecies corporum deſcendimus, ubi diviſio nobis occurrit in ſimplicia & miſta. ſimplicia ſunt vel cœlum vel Elementa. Circa cœlum quæritur; an corpora cæleſtia etiam in ſe invicem agant? Negandum videri poſſit, hoc argumento; Quòd juxta definitionem Actionis niſi in paſſo alteratio imo aſſimilatio ſaltem ex parte ſequatur, fruſtranea ſit, quòd non eſt adſcribendum Naturæ quæ nihil fruſtrà facit. Alterationem autem, nedum corruptionem in ſideribus dari nullo idoneo argumento, quantumvis id moliantur nonnulli neotericorum, convicti ſumus. Sed reſpondendum eſt diſtinguendo inter alterationem deſtructivam & perfectivam, eorum ſcilicet, quorum ut Ariſtoteles loquitur, τὸ πάσχειν ἐστὶ σωτηρία. Item inter Actionem propriam & Metaphoricam. vide ſi placet *Phyſicam* noſtram *Ariſtot: part. ſpec. l. 2. cap. 1. def. 9.* Tali putamus moveri Planetas circa ſolem, & quidem circuitu Elliptico, quem pulchrè declarat

Kepple-

Kepplerus *Epit. Aſtron. l. 4.* confer iterum, ſiplacet, *Phyſicam* noſtram *Ariſtot. part. ſpec. l. 1. Theor. 19. 20*(2) Lunam, non quidem circa ſolem, cum terra motus lunaris æquè ac ſolaris & ſuomodo etiam reliquorum centrum ſit, ſed ita ut Proſthaphæreſes ipſius ex diverſa diſtantia â ſole incrementum ac decrementum ſumant, quod iterum declarat Kepplerus Epit. *Aſtron. l. citato & in Tabulis Rudolphinis p. 77.* & ſeqq:

10. Tertium (3) ego mihi obſervaſſe videor in Eclipſibus ubi Luna luminis & copulationis cum ſole in conjunctione cupida, umbræ vero terrenæ in oppoſitione impatiens, ad Eclipticam, hoc eſt centrum ſolis in Eclipſibus ſolaribus propius ab Ecliptica adeoq; centro umbræ, remotius, in Lunaribus quam fert calculus latitudinis diſcedere videatur: ne opus ſit cum Kepplero & Longomontano ad cauſas Phyſicas & opticas quæ ab aëre tanquàm cauſa mutabili, nec ſemper eodem modo ſe habente dependeant confugere. Quartum (4) in aſpectibus quod fiat manifeſte apparet in Luna. ſi enim â ſola variatione illuminationis ſecundum ſpeciem in terris apparentem nunc majorem nunc minorem vim Aſpectus provenire putandum eſt; ſequetur minimam eam eſſe in conjunctione ſeu novilunio, ubi nihil vel parum lucis luna nobis communicat, & tamen fortiſſima tunc eſt illius operatio, non quidem ad augendos humores (quos cum luce ad nos diverſa augeri & minui certum) ſed ad movendos, ut in Euripis morbis item & ſymptomatibus cerebri tali tempore homines invadentibus apparet. Movetur ergo luna â ſole fortius in aſpectibus, & quidem, in conjuctione ad movendam Naturam ſublunarem, luminis vero ad humectandum.

11. Hæc etſi ad rem Medicam per ſe nihil aut parum facere videri poſſint, non inutiliter tamen moveri videntur, ad conciliandam eò majorem veriſimilitudinem Aſpectibus, quorum efficaciam aliàs cum illo Axiomate quodquantitatibus & rebus â quantitate oriundis, ut ſunt qualitates tertiæ ſpe-

ciei, nulla competat efficacia, ſtare putes non poſſe. *conſ. Diſp. 1. theſ. 64.*

12. Pergimus ad Elementa, in quibus valde moleſtus nobis eſt Mirandulanus; *Cum*, inquiens, *l. 3. c. 21. contra Aſtrologos. cœli opus ex omnium conſpiratione diſſultet: ita tota illa ſuperior ſemper terminatur Harmonia: ut ſicut in ipſa omnia conſonant; ita per eã nihil diſſonet unquàm in inferiori mũdo, in quo quoties incõcinnum, aſperum, diſcors auditur, ad tactũ cœli ne referatur, ſed ad quatuor iſtas chordas citharæ ſublunaris, quæ de inordinata Materia, impuraq́ contactæ cæleſti plectro ad numerum illos ſemper concordiãq́ movente contumaces interdum inveniuntur.* Hæc Mirandulanus; putans ſcilicet quando v. g. æſtatis tempore aër frigidior eſt quàm aliàs eſſe tali tempore ſolet, non eſſe â cæleſti aliquâ influentiâ per ſe quæ frigus in inferioribus excitet, ſed â contumacia terræ calorem ſolis non recipiente. ſed opponit Mirandulanus quæ opponi non debent. Hoc verum eſt; frigus in ſe non eſt â cœlo vel frigus ipſum vel aliquid frigidi in terram effundente, eſt tamen â cœlo vel potius uno aut altero ſidere in cœlo, corpora frigida ob fortiorem aliquam influendi conditionem (v. g. altitudinem majorem aut aſpectum) fortius quàm aliàs movente. Nec neſciit hoc Virgilius; Hinc ita alloquitur Agricolam. *1. Georgic.*

Hæc metuens cœli menſes & ſidera ſerva
Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Deprehendit ſcilicet duo hæc ſidera præ aliis frigus excitando agris incommodare. Quod autem interpretes nonnulli *frigidum* exponunt per *venenatum* ut in alio verſu ejusdem Poëtæ;

Frigidus in pratis cantando rumpitur Anguis

Charybdim vitare cupientes in Scyllam incidunt quaſi non eadẽ abſurditate venenatæ qualitates ſideri alicui tanquàm ſubjecto tribuantur, quàm Elementares. Diſcant illi conciliare

duo

duo hæc παράδοξα, & ut videri poſſint contraria omnesqua-
litates ſive Elementares ſive quocunq; nomine ac modo infe-
rioribus competentes, competere etiam huic vel illo corpori
cæleſti. Et nullas qualitates Elementares ulli cæleſtium com-
petere, ne calorem quidem ſoli, nedum frigus Saturno aut
Mercurio. Nòn cõpetunt ſcilicet tanquàm ſubjectis, competunt
autem ut moventibus & excitantibus, in Elemento aliove cor-
pore ad illam recipiendam aut fomentandam, idoneo. Hinc
ipſa ſidera inter ſe amica, certe non inimica, ſed quaſi conſona
non tantùm quoad motum, ſed etiam quod ad qualitates atti-
net, contrarias tamen qualitates excitant in inferioribus. un-
de fit ut inferiora interdum quidem inter ſe diſſonent, & ſeſe
invicem oppugnent imo unum alterum quandoq; deſtruat,
inq; ſuam aut tertiam Naturam trans mutet. Nunquã tamen eò
usq; ſævire patitur Deus & Natura illas inimicitias ut ad de-
ſtructionẽ usq; totius alicujus ſpeciei, multo minus totius Na-
turæ deveniat. Sed omnia tandem ad conſervationem omni-
um, ſaltem quoad ſpeciem, conſpirent. Repetatur *Diſp. 1. the-
ſi 19. & ſeqq:*-

13. Ut autem ad ſpecies Meteororum non nihil deſcen-
damus. Triplicia ea ferè, ſunt pro numero Elementorum præ-
dominantium in iis quæ ſurſum vehuntur. Aqueis Luna &
Venus dominantur, quibus ſi cum frigore conjuncta ſint Sa-
turnũ, quandoq; Mercurium, ſi cum calore, Jovem ſe ſocium
adiungere, argumento eſt. Nec facile invenias pluviarum in-
dicium certius, quàm Veneris cum Saturno fortiorem conſtel-
lationem. Saturnus ſcilicet nubes coagulat, Venus quaſi col-
liquat. Jupiter licet ſerenitatis author perhibeatur, idq; rectè
ſi fortitudinis conditione majori pollens, nubes ante fortio-
rem ſuam influentiam natas inveniat vel paucas vel ſteriles, ſi
non poteſt eas redigere in nihilum, ſed in pluvias reſolvit,
quibus reſolutis, aëri à reliquiis craſſæ & aquoſæ humiditatis
repurgato nitor atq; puritas debita reſtituitur.

14. Sic-

14. Siccitatis cum frigore author eſt Saturnus vel ſolus undecunq; fortiorem influendi conditionem nactus vel Mercurio copulatus, ſine frigore autem Mars itidem ſolus Saturno vero junctus tonitrua frequenter movet, ipſo ſulphureas, Saturno nitroſas exhalationes fovente & conferente. Mercurius ſive ſolus ſive Veneri junctus grandines frequenter ciet. non fruſtra adeo Virgilio ut ante audivimus, ſuſpectus.

15. Et talibus ferè conſtellationibus, majori ſcilicet ex parte frigidis, æſtatis, calidioribus (Jovis præſertim ſolem aſpicientis) hiemis tempore tonitrua & ſimiles tempeſtates cum lucta inſigniori conjunctæ oririſolent. Cnm enim hæc Meteora κατ' ἐξοχὴν mixta ſint (non ex Elementis ſcilicet tantum ſed ex iis quæ Elementorum originem jam ante agnoverũt) colluctantibus invicem calidis & frigidis, calor vero æſtate, frigiditas hieme dominetur; neceſſe eſt, ut ſi alterutro horum temporum tempeſtas contraria ordinaria oriri debeat, ab extra ordinariis quaſi & contrariis tali tempore conſtellationibus ſtimulari & ad luctam incitari.

16. Ventorum author præcipuus eſt Mercurius quod quomodo faciat etiam ſi ab aliis planetis excepta fortè luna & ex parte Sole, non irritetur *Diſp. 1. Thes. 18.* dictum eſt. Ex quo ſimul intelligitur, etiam ex aliorum Planetarum contrariis influentiis præditorum concurſu ventos oriri poſſe. Cum enim venti, ſi cauſa proxima alleganda ſit ex lucta oriantur qualitatum contrariarum ſubito colliſarum, non facile ſunt & vehementiores, &, ut ita dicam, ſubitaneores quàm ſub mutatione ſubita tempeſtatis calidæ in frigidam, humidæ in ſiccam, quòd Verno potiſſimum tempore animadvertitur, ubi poſt frigus diuturnum terra quæ illo conſtricta erat ſubito calore â calidis conſtellationibus oriundo aperta, exhalationibus exitum præbens ventis plerumq; ſubitis atq; vehementibus materiam præbet.

17. Li-

17. Libet hîc iterum ridere ineptias Aſtrologiæ vulgaris, Ventos ſeptentrionales quos omnes novimus frigidos eſſe, quia tamen ſalubres perhibentur, Jovi tanquam planetæ benigno, meridionales contrà quia quandoq; peſtilentes (præſertim occidentalibus contigui) Saturno tanquam maligno ut loquuntur, aſſignantes. Neſcii ſcilicet diſtinguere inter cauſas per ſe & per Accidens. Memini me aliquando Wittebergæ febrili ardore ſub intenſiſſimo hiemis frigore infeſtatum, quæſiſſe à Medico, quî fieret hoc, cum frigus perhiberetur corporibus ſalubre? Ita, inquit, ſalubre eſt corporibus puris & nihil vitioſorum humorum in ſe continentibus. Contra verò diſpoſitis corporibus meatus, quibus qualitates illæ, alioquin ex parte fortaſſis expiraturæ, frigore cõſtricti exitum denegant, calori illi præternaturali occaſionem præbent, ut corpus invadat & febres excitet. Per ſe quippe frigus nimium quantumvis putredinem prohibeat, manifeſta tamen contrarietate incommodum: Calor contrà externus tunc demum noxius eſt, quando internum evocat, & peſtilenti illa ſocietate putredinem inducit.

18. Non obſtat autem conatui eorum qui cauſas ventorum rimantur, Sacra Scriptura, cum *ex occultis foraminibus ventos educi & Dei mandato functos in locum ſuum rurſus depelli* dicit, quemadmodum nec reliquarum tempeſtatum cauſæ nullæ ex naturalibus cognitæ quia Deus *grandinem ſpargere, pluvias ſerotinas largiri* perhibetur. Diſtinguendum enim inter talium notitiam Univerſalem & Individualem. Ventos ex colliſione ſubita contrariarum qualitatum oriri dixi, & adhuc dico. Ubi autem ſit locus ex quo materia & ſubjecta talium qualitatum proveniant, fortaſſe & cauſâ in Individuo ſi ignorem, inſcitiæ quæ Univerſalium eſt, coargui propterea non poſſum.

19. Devolvimur hîc ad Quæſtionem de Anima telluris quam ſupra diximus â Kepplero ipſi tribui, ex hoc potiſſimum

B funda-

fundamento, quòd Harmoniam aſpectuum percipiat & quaſi ſentiat, quod ſine Phantaſia quadam quæ Animæ eſt, fieri putat non poſſe. Vide ipſum *de Harm. Mundi l. 4. c. 7.* Nos verò ne Entia multiplicemus præter neceſſitatem, aut gradus rerum convellamus, quemadmodum Materiæ appetitum tribuimus, ſenſum quem tamen appetitus præſupponit, denegamus; Ita non tantùm in terrâ ſed & reliquis elementis eſſe aliquid concedimus ſenſui & conſequenter animæ ſenſitivæ Analogum, verò tamen ſenſu & verâ animâ longè inferius, quamvis cujusmodi ſit, ob defectum vocabulorum exprimere aliter non poſſimus, niſi ut dicamus formam eſſe & Naturam rei, facultate hujus rei percipiendæ præditam, quæ facultas in rebus animatis ſenſus vocetur, hîc nomine ſpeciali careat. Et in hanc ſententiam ipſe tandem Kepplerus devenit, dicens nihil aliud eſſe hanc animam, niſi Naturam terræ; Natura autem Ariſtoteli noſtro & quidem potiori ſignificatu forma eſt. Non rectè autem vocari Animam cui verus ſenſus tribuendus ſit, argumento ſunt Plantæ quæ exſiccatæ etiam, adeoq; anima ſua deſtitutæ pleraſq; tamen facultates, quas vivæ habuerunt adhuc retinent. Si quis ergò quærat qua vi aut facultate terra aut quodvis elementum (vapores enim etiam â terra jam elevati varias ſiderũ operationes percipiũt, mox ſcilicet coagulati, mox attenuati) Aſpectuum & eorundem Harmoniæ vim percipiat? eadem dixero qua fiat, ut ignis in butyro aut ſimili alimento præ aliis ſibi idoneo, cujusmodi ſunt pinguia cum frigidam affuſam percipit, fugiat, caminum aſcendat & toti domui incendium minitetur. Talem itaq; vim & facultatem & talis facultatis ſubjectum ὦ ſiquis dicat ἀνάλογον eſſe Animæ cum ſuis facultatibus non magis ei repugnem, quàm dicenti omnes rerum formas ἀναλογίαν habere ad invicem, adeoq; ad Animam, licet gradus diverſi meritò diſtinguantur, & ea demum, quæ ſummo formarum gradui, rationali puta, proxima eſt, rectè ſenſitiva dicatur. Et ad hanc ἀνα-

λογίαν

λογίων nondum tamen ad ſenſum propriè dictum comprobandum facere puto Keppleri quæ ſatis magno numero allegat & colligit loco citato Argumenta.

20. Cauſis itaq; tempeſtatum ita uti confidimus, referatis, & quidem talibus quæ diu ante præſciri poſſunt, ſiderum nimirum poſitu ad influendi conditionem fortiorem comparato, quæſtio oritur; num certa detur tempeſtatum præcognitio? Hîc affirmativam Calendarigraphos docuit Auri ſacra fames, Absq; Prognoſticorum enim nugis ſi eſſet, unicum Calendarium toti Romano Imperio ſufficeret. quod voluiſſe videtur Imperator, aliquot millibus florenorum Stoefflero pro Calendario Imperii perſolutis; quod cum viderent reliqui, fabulam luſerunt aſini molitoris, qui viſo quod herus blande luſitaret cum catello in gremio ipſius, ipſe quoq; in herum ſaliens, ludos â ſervis expertus eſt, quales exercentur apud fuſtitudines inſulas. Certè ſi linguæ verbera æquè ſût verbera, aut certe verberibus apud liberalia ingenia æquè gravia, non multò mitius tractantur Calendariographi cum ſuis prognoſticis tempeſtatum (ne dicam de aliis adhuc incertioribus) apud vulgus, quàm ſi verbararentur ubi Cadendariographorum mendacia in Proverbium abierunt.

21. Sed miſſis nugis principiorum fortaſſe vulgarium incertitudini vanitatem ſuam ex parte ſaltem debentibus, quæritur; an poſitis atq; præſuppoſitis veris ut hactenus tradiſſe nobis videmur fundamentis, ſolida conſtare poſſit prognoſticorum, ſaltem quoad tempeſtates certitudo? Negamus Etſi enim inſignior hujus vel illius ſideris conſtellatio, ſi notabiliter ultra alias emineat, naturam atq; efficaciam talium Planetarum docere poteſt, præſertim eum qui vel per ætatem vel collatione obſervationum ab aliis ſibi communicatarum aliquam ſibi acquiſivit peritiam. Ne tamen ſemper tuta ſit ejusdem tempeſtatis prædictio ex conſtellatione ſimili aliquando redeunte, concurſus facit aliarum itentidem conſtellationum,

 tempe-

tempeſtatum antecedentium, Diſpoſitio terræ aliter fortaſſe nunc aliàs aliter comparata. Hæc contemplatio quid conducere poſſit Medicinæ ſtudioſis, diſcant ipſi ex Hippocrate *de aëre locis & aquis* & alibi.

22. Satis mihi viderer dixiſſe de Elementis, & eorum cum ſtellis familiaritate, niſi me revocarent Paracelſica in hiſce Dogmata, prolata â quodam quem aliàs magnifaciendum exiſtimo, ita autem mira mihi viſa ut apud eundem lecta mihimet ipſi vix credere poſſim, quantumvis certò ſciam. Verba ita habent: *Vegetabilium*, inquit, (*in pharmacop. Medico-chymica c. 4. p. 16. edit. A. C. 1662.*) *& animalium nutritio notiſſima eſt. Ex utraq; itaq; non difficile erit & Macrocoſmi nutritionem metiri. Materia qua Macrocoſmus nutritur, ſunt ipſamet vegetabilia & animalia in chaos ſeu principia ſua redacta, ſeu ſi mavis, ſunt res particulares quæcunq;. Videlicet hæ ut Macrocoſmo nutriuntur, ita viciſſim eidem nutrimentum exhibent, adeoq; omnia per circulum quaſi volutantur. Modus hic eſt: Res defunctæ progrediq; neſcientes reſolvuntur, digeruntur q; quodammodo in globo inferiori ceu macrocoſmi ventriculo; hinc ſequeſtratur quod maturius eſt, inq; aërem ceu meſaraicas attollitur, ulteriori ſubiiciendum digeſtioni. Inde ad lunam ceu macrocoſmi Epar rapitur, concoctionem ſecundam ſubiturum. Ex luna ad ulteriores deducitur elaborationes. Nimirum pars utilior ad ſolem rapitur, macrocoſmi officinam vitalem, & cordi microcoſmico reſpondentem. Inibi vilucida, ſeu ſi mavis vitali facultate perfuſa, ſub ſpecie macularum facularumve exprimitur, univerſitatiq; communicatur, adeoq; cuilibet membro univerſalis* (forte univerſa vis) *ſurrogatur, unde vivat atq; nutriatur. Reliquum ceu perittoma quod redundat deorſum vergit, inferioriq; globo communicatur, ubi partim nutrimentum rebus exhibet, partim impragnatum Aſtralibus influentiis in ſeminales rationes rerum particularium migrat, idq; vi facultatum productivarum.* i. e. *generativarum, nutritivarum, fermentativarum, quibus globus hic inferior vi benedictionis Divinæ*

per-

perfuſus eſt. Et hæc nutritio videtur macrocoſmica, quæ non minus ac animalium & vegetabilium excrementa ſua ex hibet. In terra remanent craſſiora, ibidem ceu in prima digeſtionis officina ſequeſtrata; in aëre ceu meſaraicis ſecernuntur liquidiora, unde pluvia nix & ſimilia, viſcoſiora, unde mucilago illa decidens, (Sternſchoß) &c. *Luna ſeparat excrementa tùm craſſiora quæ detrudit ad maculoſum ſui locum, ceu macrocoſmi veſicam biliariam in Epate ſitam; tum liquidiora ex hibet, eaq; ad globum inferiorem, & potiſſimum ad mare ceu renes & veſicam urinariam tranſmittit ut inibi viſua ſalina ac acri generationem globi inferioris promoveant &c:* hæc ille.

23. Etſi verò verbis ſeqq: proteſtatur hic author, nolle ſe cum iis quibus hæc non ſatis probentur altercari, & deteſtari ſe lites ſuper hujusmodi rebus, quibus *licet ſine ſalutis jactura vel ſciri vel ignorari queant, tamen famæ proximi detrahatur, ſanitati propriæ noceatur, lectoriq; legendi faſtidium procreetur.* Quia tamen non decet ſuper hiſce offuciis quæ veris & ab erudito orbe receptis ſententiis & ſcientiis imò ipſis primis & manifeſtis principiis interitum & contemtum minantur, veritatem diſſimulare, præſertim cùm primus magiſter talium Pacacelſus in ſcriptis ſuis ſatis probârit, non duci ſe ſpiritu pacifico & omnino eo cujus ductum hic author (ſerio ut ego interpretor) præ ſe fert, ſed eo cujus proprium ſit famæ proximi imò magnorum & de ὑγεία optimè meritorum virorum detrahere, certumq; non diſputationibus contra errores, ſed potiùs erroribus præſertim tàm craſſis & phyſica principia quæ etiam rei medicæ ſunt, ſubruentibus ſanitatem hominum impediri & in periculum vocari, tantò minus putavi quid mihi videretur diſſimulandum quanto majori authoris nomine ſimplicioribus nugæ hæ abblandiuntur.

24. Dico itaq;. 1. abſurdiſſimam eſſe hanc Hypotheſin qua putant Harmoniam cæleſtium atq; Elementarium, quæ nihil aliud eſt quàm apta agentium atq; patientium ad invi-

cem proportio, in pura omnium attributorum identitate conſiſtere. Quemadmodum Paracelſus ex illo Triſmegiſti ut ferunt: *quod eſt ſuperius ita eſt quemadmodum inferius* probare conatus eſt, ranas quæ interdum poſt pluvias conſpiciuntur (cur autem non etiam vitulos?) è cœlo decidere, 2. Etſi inferiora vitam ſuo modo debeant ſuperioribus, non tamen debere ut nutrientibus quemadmodum infans matri, ſed ut moventibus & qualitates in horum potentia latitantes excitantibus. 3. Multo autem minus nutritionem ſuperiorum ex inferioribus ullo documento ſtendi poſſe. Qui autem conaretur Soli, globo Elementari plus centies majori alimentum ex ipso aſſignare, eadem is opera Geryoni tricorpori cænam de Muſca paret, hoc eſt omnem proportionis agentis ad patiens rationem è Phyſicis tollat. Sed quid de Sole dicam? conſideretur ſaltem proportio diſtantiæ Lunæ infimi ſideris â terrâ, ad ſemidiametrum ipſius terræ quæ eſt ut 50. imò 60. ad unitatem & inde æſtimetur quid ſentiendum ſit de illa perſuaſione qua chymici nonnulli diſcipulos ſuos imbuunt, in ſuo Alembico univerſam mundi Anatomiam tanquam in ſpeculo oſtendi poſſe. & hoc argumento tùm ab Aſtronomia tùm ab Anatomia imo univerſa Phyſica ex ſolidis rationis rectæ fundamentis extructa ſtudioſos abducunt. tædet plura addere. Ab authore autem hujus ſententiæ etiam atq; etiam peto ne putet, me hæc in contẽtũ ipſius ſcripſiſſe, ſed hoc certiſſimè ſibi perſuadeat, non dignas me has ineptias refutatione fuiſſe habiturum, niſi profectæ eſſent â viro tanti nominis & ut hoc ſcriptum illius oſtendere mihi videtur eruditionis tantæ quanta quomodo cum hiſce conſiſtere poſſit imaginari mihi vix ac ne vix quidem poſſim.

25. Ab Elementis & imperfectè mixtis quæ â potiori Meteora vocant Phyſici, ad mineralia tranſitum facimus. In quibus quamvis in imis viſceribus terræ latitantibus, tanta tamen eſt ſideralium influentiarum evidentia, ut etiam Mirandula

dulanum, quamvis alibi negantem ſub Horizonte efficacia eſſe, adeoq; terram penetrare poſſe ſidera, ad celebrationem moverit. Sic enim ait *l. 3. contra Aſtrologos c. 4. Certè illud negari non debet, diffuſum à luce calorem* (quid prohibet quin addam etiam reliquas qualitates, quas, ut diſp. 1. docuimus cum luce diffundunt ſidera) *eò poſſe pertingere quo lux ipſa non pervenit, ſicut poteſt trans parietem calor ignis ſentiri, nec poteſt tamen ipſa flamma videri, ſic nihil eſt quod prohibeat infuſam montibus & cavernis lucem intus ipſam quidem non intrare, repulſam opacitate corporis & denſitudine, quæ non ſunt luci ſuſcipiendæ idoneæ diſpoſitiones, ſed tamen intus mittere ſuum calorem, quia licet non poſſint talia corpora illuminari, calefieri* (& reliquis qualitatibus affici) *tamen poſſunt & magis quàm quæ rara ſunt aut perſpicua.* Hæc inquam Picus Mirandulanus. in quibus cum habeat aſtipulantem experientiam, non videtur audiendus ubi contraria profert, videlicet. *c. 11. ejusdem libri.* proferemus tamen verba: *Cum*, inquit, *prope finitorem nondum plane nobis eripiuntur* (ſidera) *poſſunt aliquid certè licet perexiguum* (imò maximum propter cardinem) *radiis adhuc ad nos ex obliquo* (reſpectu Horizontis, non reſpectu corporum noſtrorum aliorumq; ſupra terram extantium, quippe cum ea ad angulos rectos feriant) *pervenientibus. Cæterum cum terræ latebris penitus latent & à nobis longius auferuntur, ſi nihil poſſe credidero ſenſus ſuffragabitur, ratione non repugnante* (quidni? niſi ſine ratione ſcripſiſſe ſe fateatur Mirandulanus quæ paulo ante ex ipſo recitavimus) *ſiquidem credi qui poteſt aliter? ſi verum eſt quod hactenus defendebamus, nihil ad nos è cælo niſi luce vehente provenire. Quod Avicenna quoq; dixit in libris Meteorologicis, lumen vocans vehiculum virtutum omnium cæleſtium: & Albertus in libro de ſomno vigiliaq; confirmavit: quo circa ſicut lumen ad nos tunc non pertingit, itaq; nec ulla virtus utiq; pertinget* (quomodo ergò pertingit ad mineralia? dicas fortaſſe iter ad mineralia brevius eſſe quàm per totam terram. hoc ſanè pro præſenti inſtituto ſatis,

recor-

recordandum tamen nec magis & minus, nec majus & minus ſpeciem mutare) *ſolum ſolem adeſſe nobis & nocte dicimus eam ob cauſam quòd ſororem vicariam faciens per impreſſum ibi ſplendorem nobis affulget* (ſed quid circa novilunia, ubi una cum ſole luna etiam ſub terrâ?) *niſi forſitan illud quoq; dici poſſit, cum ſit aëriſte ſuperior inferiori contiguus de ſolis ibi præſentia* (idem de aliis ſideribus ſentiendum) *nonnihil ipſum quoque aërem ſic foveri, ut futurus frigidior ſit ſi nullus omnino ſol nullam aëris partem illuminet.* (imò ſolem & omnia ſidera terra majora imò & minora ſub Horizonte conſtituta aliquid aëris ſupra terram illuminare, non difficulter Geometricis rationibus oſtenditur. Sed attendamus paucis adhuc Mirandulano) *ſed hoc ipſum,* inquit porro *ſiquiquàm eſt, quàm ſit ferè nihil* (ferè nihil fortaſſe ſed tamen aliquid) *oculi tactusq;* (quaſi nihil ſit niſi quod videmus vel palpamus) *renunciabunt. Aſtrologi ſiquas ſomniavere virtutes* (& Mirandulanus cum illis ut ſupra vidimus) *quibus tota terræ moles* (non tota quidem in mineralibus, ſatis magna tamen) *nihil obſtet, ſaltem nec in ſomno ſic delirent, ut non concedant has virtutes imprimi nobis purius & efficacius, cum per aërem tantum ambientem in nos effunduntur* (non obtuſa adeo geſtare pectora credo Aſtrologos, ut hoc negent) *quàm cùm brutæ terræ denſiſſima craſſitudo tota* (non tota in mineralibus) *eſt perforanda.* Hactenus Mirandulanus quæ falſa ſupra dixit ita refutans, & quæ nunc falſa dixit tam clarè ſuperioribus refutanda præbens, ut pluribus pugnare non ſit opus.

26. Nec tamen in his quoq; ineptiarum ſuarum oblita eſt Aſtrologia vulgaris quæ hîc præcipuè in Chymicos derivatæ ſunt, in dominiis Planetarum ſuper Metalla. Soli aurum, Lunæ Argentum, Saturno plumbum, Jovi ſtannum, Marti ferrum, Veneri cuprum, Mercurio Hydrargyrum aſſignantes. Nos uti nullum agnoſcimus ſiderum Dominium, niſi quod ex Harmonia qualitatum atq; operationum cum hoc vel illo corpore reſultat, ſive ea manifeſte ſeſe exerat ſive ſaltem

tem

tem ſignatura figurarum vel colorum affinitatem aliquam prodere videatur: nudam autem politici cujusdam aut ut inventores putârunt divini ordinis rationem prorſus reſpuimus; ita non pauca hîc deſideramus. Quia tamen veri etiam nonnihil (ut paſſim in hiſce rebus contingit) ad mixtum videmus: itaq; mentem noſtram in iis quæ probanda vel improbanda exiſtimamus, ita aperimus.

27. Solem multa poſſe in auro propter exquiſitam ejus coctionem concedimus, Cum autem & reliqua coctionem alia magis alia minus exquiſitam, nulla nullam deſiderent; quis ullum ex toto ab imperio ſolis eximet? Et cum non tantum coctio ſed & purificatio, cujus Jupiter author eſt, requiratur, nec hujus operam, ſaltem ſuccenturiatam reſpui ab auro exiſtimamus. Præſertim ſi, ut volunt auri potabilis aſſertores (quorum tamen controverſiam noſtram non facimus) ut & alii aurum pro medicamento cordiali & ſingulari uſurpantes, & talibus admiſcentes, tantæ benignitatis eſt, ut panacæa inde non falſo promitti videatur. Sed quid ſibi vult hujus etiam metalli coagulatio? & cui niſi Saturno primo frigoris omnia congregantis adeoq; & coagulantis authori tribuenda?

28. Argentum Lunæ ſubdi concedimus, ita tamen ut Venerem ſimul agnoſcat. Si autem Luna juris aliquid hac ratione amittit, dicant mihi Aſtrologi quomodo hanc perſuaſionem concilient cum verbis Origani vel potius Pontani quæ ille ſua facit in Introduct. *part. 3. de effectibus p. m. 557.* in explicatione ſententiæ Julii Firmici de Domino genituræ. *Dedignantur*, inquit, *luminaria ad particulare miniſterium, ac quaſi famulatum quendam è tanto gradu deſcendere, cum generationis vitæ animalitatisq; auctores ſint.* Ego nervo hujus argumenti ex Phyſicis ſpiritum conciliarem hoc modo. Cum Solis & Lunæ virtus ad omnia viventia imò ad omnes res naturales ſeſe extendat, non debere eam, uni alicui ſpeciei & quidem inter

C corpora

corpora non viventia, cujusmodi ſunt Metalla & mineralia pleraq; alligari.

29. Stannum Jovi, cuprum Veneri ſubiiciunt. Scire autem velim quo fundamento, cum non tantum color adeoq; quaſi ſignatura ſed præcipuæ operationes prorſus diverſum quid prodant. cuprum certè propter occultam malignitatem intra corpus aſſumi vetat Sennertus *de conſ. chymic. c. 19. m. p. 425.* Idem de Stanno ſentiendum. Quamvis enim id hyſtericis ad miraculum prodeſſe ſcribat Schröderus (quod etiam de cupro affirmatur) in *pharmacop. Medico chym. cap. 3.* operationes tamen per quas prodeſt & modus nihil habent cum operationibus vel Jovis vel Veneris commune. Extrinſecus ſcilicet prodeſſe ait ad ulcera fætida, fiſtulas cancrum, utalia corroſiva atq; exſiccantia. Aſſignabuntur ergo iis Planetis quorum operationes ad ſimilem finem tendunt, ſtannum Saturno unacum plumbo, cuprum Marti non minus quàm ferrum. Cum quicquid illud præ plumbo & hoc præ ferro diverſum habet illud habeat ex purioris perfectiusq; diſpoſitæ Materiæ conditione. Mercurio argentum vivum aſſignant, in quo non repugno, tantum hoc quæro; quid ſolus ille Planeta meruerit quod ſolâ Metallorũ materiâ contentus eſſe cogatur, cum alii Metallis præ ſint? Quia ſcilicet *Ad poſſeſſa venit præreptaq; gaudia ſerus.* Et Nullum pro ipſo reliquum erat Quod ipsũ eos admonere debebat, non eſſe hæc & alia juxta numerum ordinem & ſimilia cum cauſis naturalibus nihil comercii habentia diſtribuenda. Imò ne hoc quidem Mercurio ita ſubjectum exiſtimo ut nihil omnino de hoc Dominio Luna etiam participet. Ut verbo dicam; cum nullum ſit Metallum quod non coctione â magno calore profectâ indigeat, nullum quod non humiditatis aliquid virtute ſaltem contineat, nullum quod coagulatione careat, nullum quod non corroſivi quid in ſinu alat; nullum etiam erit quod ullius planetæ imperium prorſus

ſus detrectare poſſit. Idem de mineralibus reliquis eſto judicium. Et habent hîc iterum Aſtrologi occaſionem ex qua dediſcere poſſint ſuperſtitioſam illam perſuaſionem, qua ſidera rebus particulari bus pro dominis præficiunt, & res particulares dominis peculiaribus ſubiiciunt. Hæc de mineralibus.

30. Inplantis ſiderum influentiæ ſubiiciendis, incredibile dictu eſt, quantam perplexitatem induxerint Aſtrologorum circa ſigna cæleſtia φλυαρίαι per qualitates Elementares Dominia & exaltationes Planetarum, diſtributionem in membra humana, de quibus *diſputatione primâ*, nec ita pridē *in Compendio compendiorum Aſtronomiæ & Aſtrologiæ egi*, ubi præcipuè quid in Electionibus tùm chirurgicis potiſſimùm venæ ſectionibus tùm pharmacevticis damni dent, oſtenſum & pluribus fortaſſe σὺν θεῷ in diſputatione Electionibus deſtinata oſtendetur. In plantis verò de quibus hoc loco ſermo eſt tam fædas contradictiones nugæ iſtæ pepererunt, ut D. Schröderus talia recitans p. m. 33. diſertè fateatur, *quòd nec ſibi ipſi ſatisfecerit nec ad fundamenta penetrare potuerit*, Neq; id mirum, cum ab ejusmodi authoribus plantæ & ſimilia non rarò ſubiiciantur ſigno alicui in quo cum ſol eſt conſtitutus (quæ fortioris ſignorum influentiæ potiſſima habetur conditio, neq; id ſine omni fundamento. Conf. *Diſp. 1. Thes 26.*) nec florent nec germinant, adeoq; pro uſu ſalutari colligi nequeunt. Exempla vix explicato libro obvia habebis apud *Carricht*. Im Kreuterbuch. Ut ergo vir Excellentiſſimus in his rebus ad fundamenta penetrare non potuit, ita certiſſimum eſt nec alios penetraturos, antequam authoritatis & antiquitatis ſchemate nugis illis detracto ad qualitates quas hic vel ille planeta (aut fixum etiam ſidus ſi ſolide aliquid ejus modi compertum de eo fuerit) in inferioribus excitare, hæc vel illa planta autem hac vel illa operatione prodere de ſe ſoleat, attenderit. Quid porro inde agendum. E-

lectiones ſuo loco docebunt. Hinc iterum & rectiſſimè D. Schröderus commemoratis his ſententiis; *Rectius tamen*, inquit, *meo judicio feciſſent, ſi ſtellas ſingulas ſingulis facultatibus præfeciſſent, adeoq; pro facultatum varietate, & facultates ſtellarum numeraſſent univerſaliores, particulariores* &c. *Et hac via non rebus ſingulis ſingulæ ſtellæ, ſed uni eidemq; rei, prout facultatibus ea dotata eſt, ita & variæ ſtellæ forent conſecrandæ.* Et hoc eſt quod nos volumus & ſupra etiam in vulgari ſententia de Metallis deſideravimus.

31. Nec in animalibus ocioſa eſſe ſidera certum eſt. Inde etiam hoc in loco curioſiores Aſtrologi integra animalia certis Planetis ſubjecerunt; ſoli nimirum generoſa & hilaria uti eſſe putant ex quadrupedibus arietem, caprum, equum, leonem, taurum: inter aves aquilam, cygnum, corvum, gallum, vulturem; inter inſecta cantharides ſcarabæum pilarem &c. vide *D. Schröd. Pharmac. Med. chym. c. 9.* ſed ut quod res eſt dicam 1. uſu, quem ego quidem videre poſſim in Medicina exiguo 2. fundamento in quibusdam non ſatis ſolido. v. g. aries phlegmaticum, taurus Melancholicum, ut videtur, animal, quo jure ſoli ſubiiciantur, fateor me videre non poſſe. præſertim cùm idem author agnum Jovi ſubiiciat. Saturno ſimiam ſubiici, niſi propter fortem imaginationem fiat, ſcio non omnibus etiam illius ſectæ placere, cum Mercuriale potius animal videatur. Quemadmodum & pavonem Jovi malim propter ſuperbiam ſubiicere, quàm eidem Saturno. Elephantem contra Saturno malim dicare quàm Jovi. cervum verò timidum cuivis potius quàm eidem Jovi; mulum itidem Saturno vel Lunæ malim quàm Marti. Taurum item quo jure Veneri? quia hic in cœlo ipſi domicilium præbet? Sed talia vana eſſe diſputatione prima docuimus. num quia laſcivus? nec hoc quadrat, quia Venus libidinoſos reddit non per ſe ſed

juncta.

juncta Planetis naturæ contrariæ cujusmodi eſt Mars. Et quot Dominos habet canis? Lunam, Martem, Venerem, Mercurium. Sed indigna res altercatione. Hoc tamen notari velim pauca videri animalia, in quibus ita ut in homine diverſa & â diverſis Planetis derivata in diverſis ejusdem ſpeciei Individuis natura eſt. v. g. non puto inveniri Aſinum naturæ Iovialis aut Mercurialis. In paucis, inquam, hoc eſt, non tamen omninò nullis. Ita equos ignavos & ſtatarios de Saturno, generoſam quandam ſuperbiam præ ſe ferentes de Jove, ſternaces de Marte plus quàm de aliis planetis aut quibusvis ſideribus habere, & vel in admiſſione vel in partu, vel etiam utroq; tempore influentiæ ipſius plus ſenſiſſe qui dicat, ei ego nolim refragari. Sole tamen & Luna exceptis, quarum periodis & periodorum certis articulis omnium geſtationes gubernari, & inde menſuram accipere teſtantur certa ad opera illa reſpicientia Anni tempora. Videatur Ranzovius *in Cal. perp.* in ſingulis ferè menſibus. Quæ omnia cùm in homine non ſint (quippe cujus genitura, mores ad naturam omnium Planetarum hujus aut alterius in hoc, iterum alterius in alio, omnium interdum in unico accommodat) nobiliorem & ad varias artes & virtutes aptam naturam arguit.

32. Sed iſtis ſuo loco relictis, majoris fortaſſe uſus fuerit (ſaltem propter hominem) membra ſingula attentius paulo inſpicere. Quem in finem ante hac tabulam condidi, Nucleo Aſtrologiæ correctæ & Calendariis ante hac etiam inſertam quæ ibi ſi placet videri poteſt. Majoris perſpicuitatis gratia ſequentia adiicio. 1. Primò me ſicciora cum frigiditate Saturno, cum calore Marti, mollia, ut & teneriora Jovi & Veneri (potiſſimum huic) ſubieciſſe. Secundo in plerisq; ſecutum me eſſe communem Medicorum de officiis & effectibus certorum viſcerum & membrorum ſententiam, in qua *tamen* ubi

 diſcre-

diſcrepant, liceat mihi quamvis non rogato meam dicere ſententiam. Communiter recepta eſt ſententia, cor authorem eſſe ſanguinis; nonnulli caſtellum tantum aquatile, machinam (ctesibicæ ferè ſimilem) putant, motui ſanguinis reciproco inſervientem. Ob prius officium Jovi ſubiici debuiſſe, nemo inficiabitur. Propter poſterius ſi eo ſolo fungitur, Saturnò fortè cui duriora ſubjecta ſunt contentum eſſe poſſit. Ego neutrum excludere volui. Jovem, ſaltem propter rubedinem (quam nihil omninò ſanguineæ naturæ continere, prorſus improbabile eſt) & Saturnum propter duritiem & ſoliditatem. Ita ventriculo ſunt qui facultatem concoquendi derogent, ſolo retentionis ciborum officio contentum eſſe jubentes. Quia verò capere non poſſum cauſam, cur interior pellicula in ventriculis gallinarum toſta & in pulverem redacta in vino ſumta imbecillitati ventriculi medeatur; Jovem etiam digerendi officio poſt ſolem aliàs præfectum, ventriculo præficere volui. Refert ſanè ſenſibus aſpectus & tactus ejus naturam quandam lentam adeoq; Saturninam; ſed non obſtare, quin aliquid occultæ facultatis habeat cibi fermentandi & chylificandi, non pauca aliis in rebus exempla videntur docere. Et talium in pluribus conſiderandorum occaſionem ſuppeditabit dicta tabula. 3. Partes Organicas externas uti ſunt caput truncus & artus nulli certo ſideri poſſe ſubiici. Non enim alia curatione opus habent v. g. oſſa, caro, cutis &c. quatenus talia in capite quàm in reliquis corporis partibus: ut ita vel hoc nomine abſurda ſit apud vulgus Aſtrologorum membrorum corporis in ſigna zodiaci diviſio. 4. Spiritus Jovi & Soli ſubiici debere. Subſtãtiæ fortaſſe quoad ſpeciẽ unius, reſpectu tamẽ organorũ & operationũ nonnihil diverſæ. Subtilior ſine dubio eſt qui in cerebro reſidet & ſenſibus potiſſimum inſervit. Craſſior naturalis, ciniflonem agens in officina generativa, mediomodo

ſe

ſe habere videtur vitalis. Hi præſides ſi quos habent præter Jovem & Solem, eos habent qui organis & receptaculis â ſe obtentis præſident, capiti potiſſimum et genitalibus. Obſtare illis videtur Luna creſcens, adiumento potiùs quàm impedimento eſſe decreſcens.

33. Non poſſum præterea quin conſiderandas exhibeam ſequentes quæ falſæ mihi videntur opiniones. 1. A celebri quodam authore Saturnus Jupiter & Mars cerebro præficiuntur, & quidem hoc argumento, quòd altiores ſint reliquis planetis, quemadmodum cerebrum membris reliquis? cum tamen ipſe, ut ſupra citavimus, ſcripſerit qualitatum potiùs in hiſce harmoniam quæ inter ſuperiora & inferiora ſit attendendam eſſe. Sed hoc ipſi ſuaſit ſcilicet abſurda illa quam ſupra citavimus opinio de Macrocoſmi & Microcoſmi convenientia. Et hinc 3. naſcitur alia non minus improbabilis opinio, qua Epar non Jovi ut communis fert ſententia, ſed lunæ ſubiicit, hoc argumento, quòd epar lacertorum cum lunâ creſcat & decreſcat. Quod ſi verum eſt, naturam epatis arguit in illo animalculo frigidiorem quam omnium aliorum, certe plerorumq;. Ad quæ adeò â natura unius animalis, & quidem venenati, argumentari abſurdum eſſe quis non videt? præſertim cum ſimile incrementum in cerebro humano deprehendi præclarus quidam Anatomicus mihi retulerit. adeò ut vulnera cranio circa pleniluniũ inflicta periculum læſionis cerebro, cujus maſſa tũc ãplior propius minetur, quàm circa novilunium. 3. Tertius error eſt quòd ſanguinem Lunæ ſubiicit, reverâ ex hoc fundamento quòd Epar Lunæ ab ipſo ſubjectum, ſanguinis officina ſit, verbo verò ideò quòd ſanguis ſuperfluus in mulieribus ad Lunæ Leges fluat. Sed nulla vis eſt in utroq; argumento. Primum cadit cum ſua Hypotheſi antea refutata. Ad ſecundum quod attinet, ſane Luna ut omnium

hu-

humorum, ita & ſanguinis Domina eſt quatenus is humidus eſt, ſi vero ei dominaretur quatenus talis humor, hoc eſt ſanguis eſt, flueret muliebris ſanguis ad leges phaſium lunarium quod licet affirmare Aſtrologi nonnulli non vereantur, falſum tamen eſſe ex mulierculis diſcere potuiſſent. Quas autem leges obſervet fluxus ille, dicetur σὺν θεῷ diſputatione ſequenti, ubi hominis attributa circa ſidera explicare decrevimus. Interim Soli Deo Gloria.

ASTROLOGIÆ MEDICÆ
DISPUTATIO TERTIA
DE HOMINE,
ejusq́; Affectionibus, ac potiſſimum
DE MORBIS.
RESPONDENTE
ANDREA SCHARMANN Norib.

Theſis prima.

UT in omnibus rebus, ſiderum operationi ſubjacentibus, non tantùm ad ſidera, eorumq́; operationes in ipſas agentes; ſed & in ipſa hæc ſubjecta tantò diligentiùs reſpiciendum eſt, quantò ſunt inſigniora; ita *hominis* hâc in parte Theoria meritò nobis peculiarem hanc diſputationem parere debere viſa eſt; ut quid, aut quomodo hoc vel illud ipſius attributum ipſis ſubjiciendum, & quomodo iterum hoc vel illud, quod vulgus Aſtrologorum falſò ſubjicit, ab ipſorum imperio eximendum ſit, videre poſſimus.

2. Quemadmodum verò Ariſtoteles noſter ex omnibus inferioribus affectionibus, quibus influentiæ ſuperiorum reſpondent, præcipuè allegat *Generationem*, ita nos in *homine* ex ipſâ faciemus initium, & quidem ita, ut Mirandulano ejusq́; ſuccenturiatis, Nativitatum doctrinam hôc nomine imperfectionis, imò nullitatis, inſimulantibus, quòd *conceptionem* prius

intueri, & quia id, ut putant, fieri non poſſit, de iis etiam, quæ Nativitas ſuppeditat, tacere debeamus, ultrò doctrinam illam offeramus.

3. Etſi enim non ſequitur: ſi plura diſcere non poſſimus, pauca propterea, quæ videamur poſſe, negligenda; & ad multas quæſtiones de hâc materiâ ſufficeret hoc in genere dicere; cum dubium non ſit, convenientiam magnam in ſiderum influentiâ utrumq; horum temporum habere: imò quicquid de hâc convenientiâ ſit, cùm conſtet magnam vim eſſe ad mutationem valetudinis in mutatione aëris, quem antè haurire cœperimus; non eſſe dubitandum, quin primus illius hauſtus, qui in Nativitate fit, multum valeat; cùm tamen naturæ contemplatio & experientia plura nobis ſuppeditet, (nominatim *Harmoniam conceptionis & Nativitatis*) non qualis fortaſſis eſſe poſſit, ſed qualis actu & reverà ſit, videbimus.

4. In Centiloquio Ptolomæi habetur hic *Aphoriſmus*, numerô & ordine *quinquageſimus primus*: *In quo ſigno Luna eſt genituræ tempore, illud in conceptu fac aſcendens; & in quô ſignô inventa fuit in conceptu, illud, aut ejus oppoſitum, fac aſcendens in partu.*

5. Hunc Aphoriſmum, quem ab *Hermete*, ſeu *Mercuriô Triſmegiſtô* ortum putant, tantô applauſu acceptârunt Aſtrologi, ut non tantùm omni exceptione majorem atq; univerſalem putarent; ſed & arctiùs conſtrictum, pro horâ conceptionis indagandâ, natalitiâ verò corrigendâ, & ad ipſa minuta redigendâ aſſumerent, (cujus laboris regulam *Trutinam Hermetis* vocârunt) manifeſtiſſimô exemplô, quomodo in regulis Aſtrologicis vera falſis permixta, & quæ ἐν πλάτει dicta, pro accuratiſſimis accepta ſint.

6. Nam I. quod ille de ſigno, hoc eſt, 30. graduum intervallo dixit, illi de gradu accipiunt. II. quod de particulari dixit, vel, utut dixerit, non niſi particulariter verum eſt, in ſenſu univerſali allegant. Hoc quidem verum eſt, quòd tempore par-

tûs

tûs (de cujus reliquis conditionibus mox) gradu, quem Luna occupavit in conceptione, Horizonti appropinquâte, oriantur dolores partûs, & apud mulieres, ad partum faciliores, (quales ſunt in locis calidis, cujusmodi eſt Ægyptus, Ptolomæi & Hermetis patria, *Conf. Ariſt. Hiſt. An. l. 7. c. 4.*) partus ſequatur, ſignô illô in Horoſcopô adhuc verſante. Quia autem apud nos in regionibus hiſce frigidioribus id univerſale non eſſe, experientia teſtis eſt, attentiorem me ea res habuit, ad propiùs paulò hoc negocium conſiderandum; præſertim cum occaſiones domeſticæ non prorſus infrequentes, ab iis etiam, quibus in thematibus natalitiis operam meam præſtiti, exempla quædam ſuppeditata mihi ſint: ubi deprehendi, ſignum, quod Luna in conceptione obtinuit, ſemper quidem in aliquô quatuor cardinum, non autem ſemper in *Oriente*, ſed frequenter in *Occidente*, frequentiùs adhuc in *medio cœli*, quandoq; etiam (cujus rei domeſticum & aliquod ab amicô communicatum exemplum habeo) in *Imo cœli* eſſe.

7. Ut verbo dicam, qualem *Harmoniam partûs & conceptionis* deprehenderim, cõſiſtere illa viſa mihi eſt in *quatuor* præcipuè, quorum *primum eſt* Harmonia *ſitûs ſolis* Natalitii, cum eô, qui fuit in conceptione, *per quadratum videlicet ſiniſtrum plerumq;*, ut nimirum fœtus v. g. conceptus d. 25. Martii, ſole conſtitutô in 15. Arietis, edatur poſteà circa diem 25. Decembris, ſole verſante in 15. Capricorni, quod ſignum ab Ariete quadratô ſiniſtrô abeſt; quod intervallum Eccleſiæ noſtræ inter diem conceptionis & Nativitatis *Servatoris noſtri* ponunt. Sed confer etiam *Hippocratem de carnibus* non longè ante finem, item *de partu Septimeſtri & octimeſtri.*

8. Sed, inquient fortaſſe, momenta tamen conceptionis ex libris iſtis non diſci. Euge! tantumné in momentis horum negotiorum ſitum eſt? Cur ergò ne horas quidem & dies indagatione dignamini? Sed, ne dicam accurati etiam temporis

 rati-

rationem haberi poſſe apud eos, qui non brutorum inſtar, nullâ temporis habitâ ratione,

In furias ignemq́ ruunt;

notum eſt iis, qui paulò attentiores ſunt ad influentiarum cœleſtium rationes, quamvis calculus ſiderum, quatenus ad motuum leges eſt adſtrictus, nimium accuratus nunquam eſſe poſſit; Aſtra tamen & motuum aſtralium momenta ad naturam inferiorem, & hanc ad illam ſuperiorem, nequaquam in ipſis momentis adſtringi poſſe, neq; etiam debere: Sed πλάτος in iis admitti, adeoq; ex tempore præter propter ſaltem cognitô, multa, quæ ſcitu digna hîc ſunt, cognoſci poſſe. Sed ad rem.

9. Continet ergò intervallum illud ſolare inter conceptionem & partum communiter menſes ſolares novem, Lunares Synodicos itidem novem, periodicos decem. Si quæras, quid *de ſeptimeſtri & octimeſtri* ſentiendum ſit, quorum ille 182. diebus ab Hippocrate definitur, ut ſcilicet ſeptenario, quô vitam hominis menſurari idem Hippocrates dd. locis affirmat, ſua conſtet authoritas: hic verò Octimeſtris, quem diebus 211. vel 212. circiter conſtare neceſſe eſt, cum juxta Hippocratem 60. diebus, unô demtô, duo menſes ferè conſtent; de his, inquam, ſiquis quærat, quid ſentiendum, & quomodo ad cæleſtes rationes exigendi? Reſpondeo; dies 182. efficere reſpectum ſolis ad tempus conceptionis oppoſitum. Si enim à die ingreſsûs ſolis in Aquariũ numeres ad ingreſſum ejusdem in Leonem oppoſitum, proveniunt dies completi 182. Eſt autem aſpectus oppoſitus violentiſſimus, ideoq; ad propellendum fœtum aptiſſimus. Dies vero 211. vel 212. in motu ſolis ſigna VII. cum gradibus 12. proximè, qui aſpectus ἀναρμονικὸς eſt, adeoq; ex hâc ratione non mirum, ſi fœtus vivax non ſit. Sed de hôc mox pluribus: Interim decidenda liticula quædam.

10. Aſ-

10. Aſſignant Aſtronomi hodierni (nominatim *Kepplerus in Epit. Aſtr. Copern.*) menſi Lunari periodicio dies 27. h. 7.43. pr. paulò plus; Synodico dies 29. h. 12. 44. pr, paulo plus: multiplicetur uterq; per 7, & 8, & provenient pro ſeptimeſtri menſium periodicorum dies 191. h. 6. paulo plus: Synodicorum 206. h. 17. p. plus. Pro octimeſtri verò menſium periodicorum dies 218. h. 14. f. Synodicorum dies 236. h. 11. ferè. *Gottofred: Welſch*, vel is, cujus Interpretem agit Scipio Mercurius in Tract. cui titulus *La Comare*, ſeptimeſtri partui interdum felici, quamvis rarò, ut ait, aſſignat dies 210: Octimeſtri infelici dies 240: auditis ſcilicet, quæ Hippocrates dixerat de partu ſeptimeſtri, & ſumtis triginta diebus pro menſe, (cum tamen is, ſi periodicum intelligas, tantùm 27; ſi Synodicum, tantùm 29. cum dimidiô habeat) dies ita determinavit. Si enim tàm certò notum eſſet intervallum partûs & conceptionis, quomodo locus eſſet querelæ, cujus ſuprà mentio facta eſt? Hippocrates verò, more ſuô, ad experientiam attendens, incidit, ut vidimus, in noſtram ſententiam, de Aſpectu ſolis oppoſitô.

11. Porrò ad rationes Phyſicas hujus negotii, & inquiſitionem cauſæ, cur ſeptimeſtris vivax ſit, octimeſtris non ſit ut redeamus; noſtrum ex Aſtris eorumq; aſpectibus deductã hactenus rationem, efficaciorem putamus Hippocraticâ, de numerô ſeptenario; (cujus ſingularem perfectionem fruſtrà jactari, privilegium verò ex principiô longè aliô, quàm vulgò putatur, depẽdere in *Corollario Diſp. Muſicæ quartæ* docuimus) ut & Aſtrologicâ vulgari, à Dominio Planetarum, octavô menſe in Saturnum, poſt menſtruum ſingulorum dominium devolutô, deſumtâ. Alteram verò Hippocratis, quæ etiam Ariſtotelis eſt, rationem, (non cum Manibus vel autoritate tantorum virorum, ſed cum rationibus mihi res eſt) quâ dicunt, fœtum, octavo menſe egreſſum, ideò infirmiorem eſſe, quòd vires ſeptimo conatu exeundi fruſtraneô delaſſatæ, octavô menſe minores ſint, pro certô præſupponere dicimus, quod

non modò incertum eſt, ſed etiam ab experientia abhorret: cùm & conatus illi fruſtranei non ſemper antecedant;& verò, ſi antecedant,tùm partum facilitent, tùm fœtum nihilo infirmiorem faciant; cujus rei ut exempla mihi ipſi non deſunt, ita teſtimonia à mulieribus haberi quin poſſint, nullus dubito.

12. Ad principale negotium ut redeam; habentur, ut mulieres noſtræ ajunt,inter primiparas, exempla ſeptimanarũ geſtationis circiter 36.Si currẽtes accipias,in motu ſolis efficietur Trigonus. Numerentur enim dies vel à principio Capricorni, hoc eſt ſolſtitio, vel Arietis, hoc eſt æquinoctio, vel medietate circiter Aquarii,tanquam intermedio ad gradum per Trigonum indè diſtantem,& provenient in motu ſolis dies ad minimum 245, ad plurimum 248. Unde colligo nec ab experientia Phyſicâ, nec à contemplationibus ſolidè Mathematicis,ſed à nudis ſpeculationibns profectos eſſe dies illos 240, nigrô calculô *à Scipione Mercurio* notatos.

13. Ut tamen Aſtrologos à ſuperſtitioſa aſtrorum contemplatione, quâ omnia etiam ſpecialiſſima unicè ab Aſtris, nullâ inferiorum ratione habitâ, derivant, itentidem revocandos hactenus vidimus; ita nos quoq; meminerimus ad maturitatem rei non ſufficere, ſi ratio Harmoniæ ex conſtellationibus reddi poſſit, ſed vel maximè ad naturam & periodos rei uſitatas reſpiciendum eſſe. Unde (quicquid ſit de legibus politicis, μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος commiſſuris, ſi in,urgendis naturæ legibus rigidiores forent, & propterea multa honeſtati & favori conjugii, multa τῇ ἐπιεικείᾳ & charitati Chriſtianæ condonantibus) in frigidis noſtris regionibus pauca putem inveniri exempla partûs, poſt ſeptimum demum menſem vivacis, niſi ſingulari diligentia fœtus foveatur. Unde ſi quis in erectione thematis eorum, qui conceptionis tempus vel ignorant vel aperire nolunt, ſolicitus ſit de hac controverſia, ei hoc dederim conſilium; ut niſi peculiare quid conſtet de fœtu, ſolito vel imbecilliori vel robuſtiori, indeq; minus magisve maturô viſo ne

facilè

facilè ab uſitato calculo recedat; aut ſi quid oriatur dubii, contentus ſit, quòd ex iis, quæ partim jam dicta ſunt, partim mox dicentur, didicerit, magnam eſſe convenientiam ſiderum *natalitiorum* cum ſideribus *conceptionis*, adeoq; perinde ferè eſſe, ſive hæc aſſumat, ſive iis præſuppoſitis aut ſuo loco relictis, in ſideribus partûs, tanquam certò cognitis, acquieſcat. Sed pergimus in explicandâ iſtâ convenientiâ.

14. *Secundum* itaq;, in quo communiter conveniunt duo iſta tempora, eſt, quòd *Luna perveniat ad ſignum, quod in conceptione obtinuit*; adeoq; menſem periodicum celebret, quamvis non ſemper, ſed rariùs ferè in noſtris regionibus, frigiditate ſuâ opem Lucinæ multis modis remorantibus, partus ſtatim ſequatur; unde ſequitur *tertium*, ut ſcil. *ſignum conceptionis lunare, quamvis â Lunâ deſertum, cardinem tamen*, ubi ad partum ventum eſt, *obtineat*. Si quis quærat, quemnam? reſpondet, ut ſuprà dictum, trutina Hermetis; Horoſcopum ſeu Orientem, interdum Occidentem. Ego, ut ſuprà dixi, non tantùm id, quod eſt in medio cœli, ſed etiam id, quod in imo cœli eſt, non excludendum me deprehendiſſe; ita nunc dico, niſi conſtet matrem plures dies in partu laboraſſe, aut ſaltem inſigniter majores ſolito moleſtias ſuſtinuiſſe, fortaſſe etiam remediis Chirurgicis aut aliis inſigniter violentis uſam eſſe, quibus factum ſit, ut anticipârit intervallum temporis motûs primi ab uno cardine ad alium, tùm pro ſigno lunæ in conceptione habendum id, quod eſt in Cardine, Lunam vel continente, vel locum ejus natalitium proximè in ordine ſignorum antecedente.

15. Atque hoc tertium eſt; quæris: quodnam ſit *quartum*? Reſpondet trutina Hermetis, requiri, ut Luna perveniat in locum, qui aſcendit vel deſcendit tempore conceptionis. Ego aliud certius reperi, certè manifeſtius, & cujus experiendi copia diligentiùs attendentibus non ſit defutura, hoc ſcil. *ſi per aſpectū copulata fuerit luna eidem planetæ, cum quo copulata fuerit*

in conceptione, ſive aſpectus ſit ejusdem ſive diverſæ ſpeciei. Hæ quatuor conditiones quantò minori temporis intervallô ſecum invicem conſentiant, partum tantò faciliorem, cæteris paribus; ſin inſigniter majori, ut interdum fit, tantò difficiliorem eſſe, conſentaneum eſt.

16. Videtur ergò tempus Solis menſurare periodum maturitatis; (longiorem in locis & temperamentis natorum frigidioribus, breviorem quandoq; in calidioribæs, ut in Græcia & Ægypto, ubi adeò partus ſeptimeſtris frequentior fit, quàm apud nos) Lunæ revolutio & ingreſſus in ſignum, quod in conceptione obtinuerat, & copulatio cum eodem planetâ, movere & ſtimulare fœtum ad conatum exeundi, & adjuvare diſpoſitionem uteri ad iter commodius; appulſus tandem gradus ejus, quem Luna in conceptione obtinuit, ad aliquem quatuor cardinum, aperire clauſtrum oſſium, arctiſſimè extrà hoc tempus locum partûs cohibentium.

17. Hoc ultimum quamvis communi mulierum conſenſu comprobatum, adeò ut dicant, ſi mulier parturiens tali tempore in conatu fœtûs excludendi ſit remiſſior, clauſtra illa connivere, (das Schloß gehe zu.) ut non niſi poſt aliquot horas iterum reſeratur: Hoc tamen, inquam, in dubium vocant Anatomici nonnulli ex recentioribus, qui arctiùs conſtrictam oſſium illam commiſſuram in Anatomia deprehendant, quàm talis apertio videatur requirere: Non ſatis fortaſſe memores, quamvis non ignotum illis ſit, quòd multi meatus pateant, multæ etiam partes molliores ſint in corporibus vivis, quàm in mortuis, à frigiditate, quæ homogenea & heterogenea congreget, conſtricta; pauca præterea corpora à partu recentia offerantur officinæ Anatomicæ. Vid. *Tract. Ital. ſup. cit. cui titulus: La comare del Scipione Mercurio,* à Gothofredo Welſch, Medico Lipſienſi, in Germanicam linguam converſum, qui negativam tuetur, quamvis titubanter: ut vel ipſe titulus quæſtionis ferre præ ſe videtur; & *Caſp. Bauhinum Theatr. Anat.*

l. 1.

l. 1. c. 49. citatum in tertia parte libri ſimilis materiæ, à Regia Obſtetrice Loyſſe in Gallia conſcripti, ubi exemplum mulieris, à partu recentis, pro affirmativa faciens, in publicum Anatomiæ theatrum illatum commemoratur.

18. Et hunc motum adeò celerem, ut ſubitâ occluſione ſuffocationis periculum fœtui, ex parte egreſſo, ex parte adhuc verſanti in utero, minari mulieres affirment, motui ex cœleſtibus celerrimo, qualis primus eſt, gradum conceptionis ad punctum cardinis protrudenti, non ſine ratione adſcribi facilè patet. Si enim à conditione materiæ & conſtitutione corporis fœminini unicè dependeret, cùm illã tàm citò mutari veriſimile non ſit, moræ illius periculum tantum eſſe non poſſet. Quam rem, licet ſine dubio ſcurris ridiculam, diſſimulare tamen nolui, quia ut facit ad laudem Creatoris, ex utero non ſine miraculo nos extrahentis; ita in electione multum faciet ad oſtendendum tempus remediorum mulieribus, in partu difficili laborantibus, adhibendorum. Quemadmodum etiam faciliorem conſenſum conciliat circa ea, quæ infrà de locis Apheticis dicturi ſumus.

19. Satis de partu & conceptione in ſe, pro noſtro inſtituto; quid porrò in ſideribus natalitiis conſiderandum ſit, videbimus. Hîc primò occurrit nobis quæſtio *de Domino genituræ*. Ubi quantis, quàm variis, quàm mirificis argumentis vel nugis potiùs pugnent Aſtrologi pro jure hujus vel illius Planetæ, videre eſt ap. *Origan. Introd. in Ephem. part. 3. de effectibus c. 3.* & alios, quos pleroſq; allegat. Quæ ne moremur, dudum didicimus ex iis, quæ de dignitatibus planetarum fictitiis, quæ tamen leges fundamentales iſtius Electionis ſuppeditare perhibentur. *diſp. 1.* diximus. Ut autem ſæpè, præſertim ad eos, quibus themata natalitia erexi, proteſtatus ſum; ita nunc repeto, Dominium ſideribus nullum me tribuere, præter id, quod tribuit ipſis Creator *Gen. 1. v. 16. 17.* in illuminatione ſcil. ſub qua quid deprehendatur, iterum patet ex iis, quæ *Diſp. 1. th. 23.* dicta

ſunt,conſiſtens; ut ita de Domino genituræ quærere nihil aliud ſit, quàm, cujus operationibus præ reliquis natura nati obnoxia ſit,percontari. Cùm autem quibus à conceptione ad nativitatem usq;, & in ipsâ obnoxia fuerit, modò audiverimus, nec ulla appareat ratio,cur in Nativitate & poſt eam alios ſuggeramus; itaq; ex *planetis* præcipuum eſſe dicimus eum, *ad cujus radios Luna accedat.* Ex ſignis verò vel potiùs ſideribus fixis, ſigna occupantibus,id, quod vel à *luminaribus* obtentum, vel in aliquo quatuor *cardinum* contentum fuerit. Quæ ſigna *Aphetica* ab ἀφιέναι & emiſſione,vel Arabico,ut ajunt,nomine *Hylegialia* ab הלך quod eſt, ambulare, dicunt Aſtrologi; quòd nimirum in directionibus & profectionibus præcipuè attendantur.

20. Quæſtionem de Domino nativitatis excipit apud Aſtrologos quæſtio *de nutritione*, ut loquuntur; hoc eſt, an & quamdiu, num ultra citrave primos quatuor, quos nutritioni præſcribunt, annos nato contingat? Ubi iterum falſa veris, incerta certis permiſceri,& quomodo hæc ab invicem ſejungenda ſint,videbit atq; agnoſcet is,qui Aſtrologica hâc etiam in parte præcepta cum iis, quæ *Diſp.1.* ventilata ſunt, contulerit. Ego ad uſum Medicum ſatis eſſe exiſtimo, ſi nudè quæratur, ſitne natus naturæ firmæ, an infirmæ? Ubi etſi ῥοπὴν non levem habere conditionem paterni vel materni ſeminis, libenter agnoſco, quia tamen hîc non quæritur, quid ſublunares cauſæ hîc faciant, ſed quid cæleſtes, ſciendum interim, multa à commodâ ſiderum conſtitutione emendari,multa etiam ab incommodâ corrumpi poſſe; quod certè negare non poſſumus, niſi omnem eorum efficaciam negare voluerimus.

21. Firma ergò erit natura per ſidera natalitia I. ſi fortiorem influendi conditionem habuerint ea, quæ homini amica; minùs fortem,quæ minùs amica ſunt. Unde facilè patet,fortes influendi conditiones, Saturni & Martis, Eclipſes item in locis Apheticis,ante vel poſt partum infirmare; abſentiam autem

horum

horum vel confirmare naturam, vel firmam non turbare. II. Firma erit natura, ſi ſidera homini amica conſtituta fuerint ita, uti conſtituta ſunt iis temporibus, quibus inſigniores ipſorum effectus deprehenduntur. Ubi ad Solem quod attinet, occurrunt tempora anni; de quibus tamen notandum, quòd illud incom̄odi nō multum in ſe afferre poſſit. Quia enim periodus geſtationis humanæ tribus anni quadrantibus continetur, inde fit, ut, qui conceptus ſit ſole verſante in ſigno aliquo deſcendente, edatur, cum idem ſitus eſt in aſcendente; & viciſſim. De Luna communis quidem eſt ſententia, infirmioris naturæ eſſe, qui Luna decreſcente nati ſunt: Si autem reſpicies exempla, invenies non pauca eorum, qui, quamvis ſuccipleni, adeoq; propè lunam plenam vel nati vel concepti, longævi tamen non ſint, quemadmodum contrà graciles ut paucioribus valetudinis mutationibus obnoxii, ita longævi ſunt; ſpiritibus quippe (cæteris paribus) valentioribus, & viâ ad putredinem non ita facili apud ipſos, quàm apud pinguiores. In phaſibus tamen Lunæ fortioribus, ut eſt conjunctio, oppoſitio, & quadratura, nati, uti revolutiones Natalitias Lunæ habent cum vehementiori illius operatione conjunctas, ita frequentibus & frequenter ſubitis valetudinis mutationibus obnoxii ſunt, præſertim ſi vel ipſa Nativitas, vel ſaltem ipſæ illæ revolutiones, planetarum malorum radiis ſimul fuerint obnoxiæ. Snnt tamen mihi nota exempla ſub quadraturis firmæ naturæ, quod vel concurſui bonarum conſtellationum aliarum, vel diſpoſitioni ſeminis meliori, ad ſuſtinendas operationes ſiderum ſolito fortiores magis diſpoſitæ, tribuendum judico.

22. Temperamentum ſequi qualitates, quas ſidera, fortiùs tunc agentia, excitare ſolita erant, quivis facilè colliget ex iis, quæ *Diſp. 1. th. 18.* dicta ſunt. Quemadmodum & mores aut certè inclinationes morales temperamenta ſequi notius eſt, quàm ut pluribus exponi neceſſe ſit.

23. De morbis duo quæruntur: *Genus* morbi, ad quod ſis inclinatus, *& tempus*, quo ſis illis obnoxius. Hæc enim duo in curatione ſcitu præ reliquis neceſſaria ſunt: cum morbo ignoto quid medicamenti adhibere; & ignoto tempore, quando hoc vel illud, ad curationem faciens, ſuſcipere debeas, ſcire non poſſis.

24. Morbum definit *Gal. de diff. morb. c. 2.* quòd ſit *conſtitutio præt. nat. vitioſæ functionis causâ.* Unde apparet, ſi juxta aſtra de morbis loquendum ſit, ex iis Aſtris morbum provenire dicendum, quæ vitioſam corporis conſtitutionem inducunt; cujusmodi eſſe Saturnum & Martem notum eſt, & quomodo ſint *th. 21. Diſp. 1. diximus.*

25. Ad diviſiones quod attinet, *morbi* ſunt vel *partium ſimilarium* vel *diſſimilarium* ſeu *organicarum.* Illarum proprios eſſe dicunt Medici *morbos intemperiei*, quando nimirum pars aliqua ſimilaris à debitâ temperie recedit. Hanc intemperiem cum à malis planetis induci ſolere, ex deſcriptione naturæ & influentiæ illorum manifeſtum factum ſit, facilè colligitur, quòd & quales morbos inducant, ſi & quatenus conditionem fortioris influentiæ nanciſcantur; quod fit in genere per conditiones fortitudinum *Diſp. 1. à theſi 25. & ſeqq. usq. ad finem* commemoratas: in ſpecie, ſi mali illi planetæ vel inter ſidera natalitia ipſi fuerint, ſeu, ut in Aſtrologia vulgò loquuntur, dominium in nativitate ſortiantur, vel Dominium ſortitos aſpectu fortiori feriant, aut quoquô modô cum iis concurrant, deniq; quôvis modô fortiore influendi conditione gaudeant.

26. *Partium Organicarum morbis*, quos docent Medici eſſe vel *numeri* vel *magnitudinis* vel *conformationis* vel *loci*, ſatis multa promittunt Aſtrologi ex ineptis ſignorum attributis, *Diſp. 1. th. 35. 37. 38.* commemoratis; ſed quod de reſpiciendis cauſis vel ſignis illis ſemel diximus, ſemel & ſatis dictum eſto.

26 Cir-

27. Circa *morbos contagioſos* quæri ſolet, cur tempore contagii inter plures eodem locô verſantes alter inficiatur, alter immunis evadat? Communis reſponſio eſt, poſt Deum penes diverſas diſpoſitiones in corporibus cauſam reſidere; quod verum eſt; ſed quæritur, unde diverſa illa diſpoſitio? à temperamento, inquiunt, diætâ & ſimilibus; nec hoc rejiciendum: Sed quæritur non tantùm, unde temperamentum? ubi ex noſtro inſtituto ex *th. 21.* reſpondemus; ſed etiam, quid cauſæ ſit, quòd tali tempore nec omnes ejusdem temperamenti, (v. g. ſanguinei, qui propter temperamentum, quamvis in ſeſe optimum, putredini tamen reliquis faciliùs obnoxium, periculô infectionis obvii putantur) nec omnes eâdem Diætâ utentes, tali morbô ſine diſcrimine corripiantur? Hîc reſpondemus cauſam eſſe, quòd conſtellationes temporum, infectione homines infeſtantium, inſigniùs vel familiares vel adverſæ ſint Aſtris natalitiis hujus, quàm illius. Illæ enim familiaritate ſuâ admonent quaſi conſtellationes natalitias; hæ irritant.

28. Unde facilè patet, quid reſpondendum ad quæſtionem; *an Morbi ab aſtris habeant originem, & quid de morbis Aſtralibus*, ut loquitur Paracelſus, *ſentiendum*? Affirmativam ſcilicet ſtatuendam. Hoc eſt, cùm dentur ſidera influentiis ſuis homini non ſatis commoda aut amica, ſiniſtram etiam qualitatem, quæ morbi cauſa ſit, oriri inde poſſe. Notandum verò ita eſſe comparatum cum conſtellationibus illis ſiniſtris, ut non facilè noceant, niſi iis, quorum ſidera natalitia feriunt; v. g. *Eclipſis*, item *tranſitus Martis aut Saturni tardior* per aliquod ſignum; et, ſi in genere nocent, aërem incommodâ huic vel illi tempori, adeoq; inſalubri, qualitate afficientes, non facilè tamen ad morbum usq; epidemicum & venenatum, cui omnes promiſcuè obnoxii ſint, procedit, priusquàm ex ſiniſtrâ illâ conſtellatione univerſalis aliqua putredo aut ſimilis alteratio (putredo enim uti deſtruit putrefacta, ita deleteriam actionem minatur omnibus, quæ rebus putrefactis, ante-

quam

quam putrefactæ eſſent, ſalutem aut quodvis valetudinis beneficiũ debebant. *Vid. Petr. Salium Divers. de Febr. peſtil.*) ſequatur: quæ quia cũ morâ aliquâ & ſucceſſione cõjuncta ſunt, adhærere non deſinimus Hippocrati, tempeſtatibus, non tàm tempori peſtifero conjunctis, quàm ea præcedentibus, morbos Epidemicos aſcribenti, potiùs, quàm vulgo Aſtrologorum, qui ex conſtellationibus, ipſorum cerebro non ſatis probatis, (v. g. ex *Saturno* Leonem occupante, ubi igneam naturam acquirere ipſum dicunt) in Calendariis ſuis, Eclipſeon, Cometarum item, aut aliarum conſtellationum rariorum deſcriptionibus, peſtem & ſimilia, tanquàm ex cauſis immediatis & proximis, deducunt.

29. Addimus & hoc, infectiones iſtas non ſemper & unicè oriri à planetis & conſtellationibus, quas malas eſſe omnes agnoſcunt, ut vulgus Aſtrologorum ſomniat, (Repete *Diſſ. anteced. th. 17.*) ſed quandoq; à bonis, (dicto tamen modô, hoc eſt, non tantùm, & per ſe; ſed mediante alteratione aëris & terræ) ipſo, inquam, *Jove*, quem pro optimô habemus; quippe quem in *Hiſtoriis peſtium memorabilium* plerumq; invenerim hyeme vel vere, Epidemia iſta antecedente, *Retrogradum*, adeoque calorem tempore alienô plus juſtô augentem.

30. Et talia plura ex Accidenti fieri poſſe, teſtis eſt diviſio morborum *juxta quatuor anni tempora;* unde ſcilicet colligamus, alios ex hoc, alios ex aliô anni tempore faciliùs oriri. Et hoc voluit etiam Ariſtoteles, λοξὸν κύκλον per iſtam λοξότητα mutationis temporum & tempeſtatum & valetudinis vitæ, tandem & mortis, reum peragens.

31. Dividuntur etiam morbi in *magnos & parvos*, *breves & longos.* Ubi magnitudinem & longitudinem inſigniori & & diuturniori influentiæ ſideris non ſatis cõmodi, (ubi plerũq; reſtim ducit motus alicujus planetæ mali retrogradus) præſertim ſi remediis, commodis aliàs, contumaciter reſiſtat, aſſeribendum putamus, ceſſuri ſanioris Aſtrologiæ adverſariis tunc,

ſi

ſi θεῖον illud Hippocratis ſui explicare, & longitudinis illius cauſam ſemper ſine aſtris, ſaltem moventibus, reddere poterunt.

32. Dividuntur quoq; morbi *in acutos* & *non acutos*. Acuti plerumq; à *Marte* gubernantur, cujus quadratum vel oppoſitum ſi criſes antevertunt; quod fieri neceſſe eſt ſeptimô die, ſi quidem vel naturæ bonitas vel alius planeta benignus radios ſuos conjunxerit; ſalus: ſi in octavum aut nonum usq; diffeꝛatur, mors aut certè alia inſignis, in deterius vergens, mutatio conſequitur. Vide *Excellentiſſ. Medicũ & Aſtronomum Laurentiũ Eichſtadium Pæd. Aſtr. Introduct. in part. Ephem. ſec. ſect. 3.* Laurentii verò (cognomine ita dicti) argumenta, quæ habet in ſuo *de criſibus tractatu* contra Aſtrologos, indigna ſunt ſolutione, (quam tamen impertiri non gravabimur, ſiquis in diſputationis conflictu ea attulerit) nedum tantô virô; unâ liturâ, & ſpongiolâ, ubi fortiſſima videri poſſint, delebilia, quòd à ſcopo aberrent, & ubi probare debebant, Aſtra nihil in hoc negocio efficere, nec, ſi à Medico attendantur, ſubſidii aliquid, ſaltem in medendi methodo, ſuppeditare poſſe; ibi contra ineptias Aſtrologorum in prædefiniendis contingentibus diſputat. Sed ut dictum, ad D. Eichſtadium loco cit. & ſi noſtra etiam lectu non indigna benignus lector judicaverit, ad *Epiſtolam dedicatoriam Calendarii noſtri ad Annum 1664.* eum ablegamus: plura enim inſtituti noſtri ratio impræſentiarum non permittit.

33. Quia tamen Calendaria, ut in Annum tantùm videntur facta, ita cum Anni ferè curriculo tranſeunt; placet duarum ſaltem quæſtionum deciſionem examini nobiſcum diſſerere volentium ſubiicere. I. *Cur criſis diei ſeptimi plerumq; ſalutaris, reliquorum vel noxia, (nominatim octavi & noni) vel infida, ut quarti?* II. *Quæ ſit cauſa, ſi non perfectarum criſium, ſaltẽ inſignium mutationum, quæ ſolent interdum contingere diebus reliquis.* Ad *primam* reſpondemus: cauſam eſſe, quòd intervallum ſeptem dierum maturitati humorum à naturâ deſtinatum ſit. Si quæras: cur hæc potiſſimum, nec major nec minor? reſpondebimus tunc, ſi cauſam reddideris, cur huic animali hæc, alii alia pe-

riodus geſtationis uteri deſtinata ſit. Si non tantùm de maturitatis, ſed etiam de motûs & excretionis causâ quæras; pateſcit ea ex horis, quas Criticas vocamus. Ad *alteram* quæſtionem reſpondemus breviter, cauſam (non fortaſſe perpetuam, frequentiorem tamen) eſſe ſingularem aliquam conſtellationem, Lunæ potiſſimum, ſidera natalitia tali tempore ſubitò ferientē aliquô eorum modorū, qui mox commemorabuntur.

34. Dividuntur etiam morbi *in ſalutares & lethales*; ſalutem magna ex parte Aſtris (licet non ſolis; Medicamenta enim, cōmodā diætam & ſimilia ſi excluſeris, famulum à ſervitiô Domini prohibebis) debētes, ſive quid aſpectus aut tranſitus nō ſatis benigni, qui morbi cauſa fuerint, in defluxu ſint ut Aſtrologi loquuntur, ſive quòd aſtra benigna benignô radiô ægro illuceſcant. Lethalium cauſas Aſtrologia vulgaris in ſolis ſideribus quærit, ſæpè autem falli, non eſt mirum, cùm ignorantiâ vel neglectu cauſæ materialis prognoſtica illorum laborent. Quòd autem interdùm in mortis præſagio στοχαστικοὶ videantur, id ſi non fit fortuitò, inde videtur; quòd plures naturæ imbecillioris quàm robuſtioris, plures diætam commodam & medicamentorum uſum, eumque verum & methodicum negligentes quàm obſervantes. Fortaſsè etiam geniis (non quidē omniſciis, præſertim futurorum contingentium, ſagacioribus tamen ad perſcrutanda naturæ penetralia, quàm nos cogitando, nedum imitando, aſſequi poſſimus) interdum ſi non colludentibus, ſaltem quoquô modô (ad alendam ſuperſtitionem & vanos metus fidei Chriſtianæ, quæ vel maximè tali tempore conſtans & immota eſſe debebat) continuò conſpirantibus. Sed *ſimplicitas & rectum cuſtodiant nos*! Dari enim conſtellationes, ad quas, quicquid omnibus remediis naturalibus contrà moliamur, mors tamen neceſſariò ſequatur, credemus tunc fati illius Stoici patronis; ſi iſti cauſam reddiderint, cur Patres antediluviani tot conſtellationes vivendo ſuperaverint. Quod enim iſte, quem probè nôſtis, â ſtoliditate non minùs, quàm peritiâ in arte ſuâ celebris apud nos Aſtrologus dicit: *Profectiones à ſe inventas, tanquam tardiores, feciſſe tunc, quod hodiè directiones faciant*; petitio principii eſt. Reddat

ille prius cauſſam, cur directiones (ſi cauſa neceſſaria & adæquata mortis ſint) tunc non fecerint, vel potiùs perfecerint, (fecerunt enim tunc idem, quod hodiè faciunt) quod hodiè fortaſſe perficiant? Nullam poterit aliam, quàm naturam, tunc, quam hodiè, fortiorem. Quanta firmitas etſi non eſt hodie, eſſe tamen poteſt tanta, quanta unam aliquam ῥοπὴν, cui multi ſuccumbant, interdum ſuperare poſſit.

35. Diximus hactenus de ſpeciebus morborum potioribus; accingemur etiam ad cauſas, quas Medici commemorant; ut, an & quomodo ſidera inter ipſas locum habeant, videamus. Prima Diviſio eſt in quatuor genera, tironibns etiam Philoſophiæ nota; Efficientem puta, materiam, formam & finem. Ubi ſapienter monent, qui monent, Efficientem præcipuè hîc attendi. Forma enim in diviſionibus explicata; finem propriè non habent; materia nulla eſt, præter ſubjectum, quod præſupponitur potiùs, quàm ut operosè hôc in locô explicandum putetur.

36. Efficientibus itaq; cauſis ſidera etiam accenſenda negandum non eſt, niſi ejus, qui cuncta ferè hactenus dicta & probata pro nugis habeat. Hoc tamen notandum, & quidem contra eos, qui ſatis eſſe putant Medico, ſi conſtitutionem ægri & ſimiles cauſas, quæ proximæ eſſe unicè putantur, conſideret; ſidera putantes vel remotiora, vel in propioribus, ut ſunt elementa & ſimilia, quæ non-naturalia vocant, comprehenſa: contra hos, inquam, notandum; influentiam ſiderum vel potiùs perceptionẽ influentiæ ipſorũ ad morbos duplicẽ eſſe, generalẽ & ſpecialem. Generalis eſt in omnia ſublunaria, Elemẽta potiſſimũ, & quæ ex ipſis cõſtãt. Omnia hæc alterãtur & mutãtur à ſideribus, pro ratione partim majoris vel minoris, hujus vel illi, hoc vel illo tẽpore, fortiùs influẽdi cõditione, partim cõditione ſubjectorum. Hæc ſola ſi eſſet, ſatis fortaſsè eſſet effecta, uti ſenſui obiiciuntur. aut ex corporum conſtitutione fluunt, ſine impenſiore in cauſas illas remotas inquiſitione conſiderare; ſatis inquam, ad eſſe ſaltem utcunq;, certè autem non ad benè

eſſe. Sed miſſô hôc, aliud adhuc latet poſt hæc carecta, major ſcilicet minorvé hujus vel illius ſideris, hôc vel illô tempore influentis, convenientia cum Natalitio. Etſi enim multi morbi curantur ſine hujus cauſæ cognitione; multorum tamen etiam, ſaltem Chronicorum, & ad curationem ex naturâ ſuâ contumaciorum, curam, quòd hæc non attendatur vel prorſus ignoretur, infeliciorem eſſe, quod fortaſſe neſciamus, cauſa potiſſima eſt, quòd ſidera, quantā vim habeant, vel neſciamus; vel non curemus. Sed lugere ſcil. hæc, licet mutare nauſeabundô hôc & ſuperciliosô ad fundamenta Philoſophiæ ſolidioris ſeculô fortaſsè vix licet. Proxima, inquam, cauſa, ſaltem in efficientium genere, imò interdum in univerſum, eſt ſideris, hôc tempore influentis, cum natalitiô ægri, cognatio; proximâ autem causâ ignotâ, cùm curationem ægri ſuſcipientem, qui somniare potiùs, quàm curare dixerit, nihil à conſenſu eruditorū abhorrens dixerit.

37. Secunda diviſio cauſarū eſt in *ζυνεκτικὰς*, continentes; *προηγουμένας* antecedētes *καταρκτικὰς*; primitivas, (Jacob. Martini, præceptor meus, quem vid. *partit. Metaph. l. 1. ſect. 9. th. 42. & ſeqq.* excitatrices vocat) Definitiones videantur apud Medicos; nominatim Dominum Sennertum in Inſt. & alios, aut laudatum Jacobum Martini. Ut verò dictus Dominus Sennertus ſapienter (ſiquid hîc judicare poſſum) monet, diverſam eſſe cauſam continentem à proximâ, & dari cauſam proximam (v. g. ictum gladii) quæ continens non ſit; (quemadmodum vulnus eſt) ita videtur mihi dari continens cauſa, quæ proxima non ſit, niſi in ſuo genere, & quidem inter ſidera. Quæ interdum, nominatim in tranſitu tardiori per ſigna ægri Aphetica, non deſinunt hominem adversâ valetudine affligere, quamvis morbô, quem initiô inflixerunt, profligatô. Exempla mihi non deſunt, & quidem domeſtica; ſed pergo.

38. Notandū putavi & hoc, ſidera interdū *προηγουμένης*, inter dū *προκαταρκτικῆς* loco eſſe; *προκαταρκτικῆς* apud eos, qui, quādo in errore diætæ per tēpus ſatis longū ſub comodis cōſtellationibus impunè, uti putant, verſantur, ingruēte poſteà ſiniſtrâ cō-

ſtellatione, ſubitò ad rationes Medico reddendas vocantur; προηγουμένης verò apud eos, quibus ſiniſtra conſtellatio ſidera natalitia tangit; ſub quâ per firmitatem naturæ incommoda valetudinis non difficulter evitarent, ſi ejus rationem diligentem haberent. Exceſſum autem, fortè in gratiam amici aut propter ſimiles cauſas, committētes auſum valetudine adversâ inde ſequēte luere coguntur. Nec hîc exemplis omninò deſtituor.

39. Dividuntur etiam cauſæ morborum in *evidentes* & *latentes*. Utriusq; generis exempla apud Sidera dantur totidem, quot dantur exempla Induſtriorum influentiæ ſideralis obſervatorum in evidentibus; contemtorum in latentibus. Ego, qui ſe pœnitere dixiſſet alicujus in Aſtrorum culturam impenſæ induſtriæ, novi neminem; quos verò Socordiæ aut ὀλιγωρίας in ſinu pœnituerit, non pauciores eſſe nullus dubito.

40. Nec rara eſt, ut aliarum morbi cauſarũ ita potiſſimum ſideralium diſtinctio inter cauſas *per ſe* & *per accidens*. Exemplum habuimus ſuprà *th.29.* in Jove bono Planeta. Jam mali adjiciemus Saturni, qui, quamvis frigore corpori humano incom̃odet, dum tamen putredinem cohibet, benignam, operã ipſi non rarò præſtat. Et hinc etiam granum ſalis commodatò aſſumere poteſt Phraſis illa Aſtrologorum, quando dicunt: bonos planetas violari à malis; quod ſcilicet non ita eſt accipiendum, (quomodocunq; illi intelligant) quaſi ipſa ſidera mutuis mutationibus, & quidem in deterius, eſſent obnoxia; ſed quòd diverſi illi & contrarii effectus plerumq; cum incommodo ſint inferioribus conjuncti.

41. Cauſarum etiam non tantùm communium, ſed & propriarum, hoc in genere exempla in ſideribus dari, ex *theſ. 36.* paulò antè poſitâ, ſatis eluceſcit. Quemadmodum & non tantùm privativarum ut voluiſſe videtur Ariſtoteles, ſolem acceſſu caloris diſceſſu frigoris cauſam dicens; ſed & poſitivarum cauſarum exempla inter ſidera dari, ex Planetis, quos malos non ſine fundamento dicunt Aſtrologi, manifeſtum eſt.

42. Atq; hæ ſunt cauſæ morborum formaliter & activè conſideratæ. *Materialiter*, hoc eſt, ut res, quæ cauſæ ſunt mor-

borum, *conſiderata* ſunt vel extrà vel intrà corpus noſtrum. Res quæ extra corpus noſtrum ſunt, vel *neceſſariò nobis competunt*, ut ſunt *res non-naturales* dictæ, quibus ſidera etiam annumeranda eſſe, modò *d. th. 36.* probatum dedimus, vel *non neceſſariò* nobis occurrunt. Talia ſunt, quæ vulnerant, contundunt, vel ſimili modo corpori nocent. Hæc an & quomodo ſideribus conveniant, dicetur fortaſſe in *Aſtrologia contingentium* ſub manibus fervente; hîc tantùm de purè naturalibus agere conſtituimus.

43. Res morbificæ *intra corpus noſtrum* ſunt *humores præternaturales*, ſive ſint toto genere contrà naturam, ſive peccent quantitate, qualitate, motu, vel loco. Suntq; *plethora* & *cacochymia*. Plethoræ, ſive purè conſideratæ ſive reverà puræ, author inter ſidera eſt Jupiter; non tamen excludenda cibi & potûs qualitas & quantitas & ſimilia. Cacochymias ſpecies ſunt *pituita*, *bilis* tùm flava, quam κατ' ἐξοχὴν bilem, tùm atra, quam *Melancholiam* dicunt; ubi diſtinctionis, quatenus vel ſalubrioribus vel excrementitiis humoribus accenſeri debeant, ſecuti, pituitam Saturno, Veneri vel Lunæ copulato, bilem flavam Marti, Melancholiam iterum Saturno, adſcribimus; tantò minùs in his ipſis humoribus valetudini per ſe incommodaturis, quantò erit influentia illorum moderatior; (non enim abſolutè noxios eſſe hos planetas *Diſp. 1. th. 21.* & alibi dicitur) tantò magis, quanto immoderatior.

44. Chymicorum περιεργίᾳ ne minùs, quàm par videtur, velificari videamur, *morbos ſalinos* tribuimus Saturno, *Sulphureos* Marti, *Mercuriales* Mercurio, ſive nimis fortiter influenti, ut fit in maxima ejus remotione à ſole aut retrogreſſione, in quadraturis item & oppoſitionibus; ſivè à malis forti aliquo aſpectu verberato, quo niſi juxtà præſente, prioribus caſibus naturis, ex alio principio firmis, non ſemper videtur incommodare.

45. *Calculos* itidem Saturno coagulanti, & ex parte materiam Marti, tanquam in furno laterum inſtar coquenti, aſcribimus. *Vermes* plus materiæ putridæ & feculentæ, quàm ſideribus, debere exiſtimamus. Quamvis Jupiter & ſol, potiſſimum hic, manum auxiliatricem non denegent calori, ut omni omninò, ita etiam præternaturali, cujus beneficiò putredo oriri & generatio taliũ fieri ſolet. Hinc morbi putridi æſtate frequentiores quàm hieme, & venti Auſtrales & juxtà Occidenti vicini, quamvis Joviales ſint, (vide *Diſp. 2. Thes 17.*) morbis tamen peſtilentibus non alieni.

46. Quæ hactenus de morbis diximus, etiam de Symptomatis accipienda, intelliget quivis; etiam qui non multum intelligit. Quid ſi autem ex noſtra Aſtrologia

decidendam nobis ſumamus illam quæſtionem; *An omne Symptoma à morbo ſit, an verò detur aliquod non à morbo ortum?* Affirmativam poſterioris non moroſos eſſe patitur, ad ſidera attendentes; quippe ubi interdum cauſa morbifica ita ſubita fit, ut ſine omni alteratione ſiniſtrâ prævià, vehemens aliquod & lethale ſymptoma inducat (v. g. quando luna ipſum gradum ſigni alicujus natalitii ingrediens, aut Nodum deſcendentem quem caudam draconis vocant tranſiens, in radios mali cujusdã, planetæ, Martis potiſſimum aut etiam Saturni incidit) ubi catharrhos ſuffocativos Apoplexiam & ſimilia hominibus paulo ante vividis & florentibus inducere, ut credam, exemplis non omninò nullis, unô certè domeſtico valdè inſigni doctus ſum. Nec ratio etiam à priori latere poterit eum, qui perpenderit, quanta ſit quarundam conſtellationum, potiſſimum & Lunæ, in tempeſtatibus ſubitò excitandis in aëre, (quare autem non in corpore etiam humano?) potentia.

47. Snbtiliores Symptomatum diviſiones Medicis committentes, exempli potius loco quam pro accuratâ tractatione pauca dicemus de iis, qnæ juxta membra corporis conſiderantur. Ubi primò occurrunt *ſymptomata cerebri*, quæ Lunæ & Mercurio accepta ferre decet, Saturno tamen inplerisq; (certè iis quæ cum usûs rationis perturbatione præ cæteris conjuncta ſunt) altera qualitate cerebro, inimico, & in genere melancholias, quæ balneum Diaboli vocatur, authore, plerunq; imò fortaſſe ſemper cooperante. Multum ad perverſionem rationis in conceptione & nativitate facere hoc, ſi facta conceptione ſub appulſu lunæ ad Mercurium, partus poſtea tamdiu retardetur donec luna à conjunctione Mercurii defluat, exempla hujus generis talia in quibus aliud nihil, quod judicium ſatiare poſſet reperire poteram, me ut crederem adduxerunt. Quod fortè contigit ei, de quô Jacobus Balde *in tubo Satyrico Eclipſeos Anni* 1645. (niſi tamen ad exagitandos Aſtrologos fabulam fingere, quàm hiſtoriam commemorare, maluit) refert; eum liberos ſapientes generare conatum (conjunctionem ſine dubio Lunæ cum Mercurio ſapientiæ autore aucupantem) omnes fatuos ſuſcepiſſe. Eſtq; hoc malum ſine dubio fortius, ſi in una eademq; nativitate idem præter Mercurium cum aliis etiam planetis fiat. Confer Origanum *Introd. in Ephemer. part.* 3. *c.* 8. *p. m.* 587. Ubi quæ de fortitudine & bona conſtitutione planetarum ad mores formandos dicit, maximâ ex parte de Lunæ ad ipſos appulſu, quæ de deformandis, de defluxu ejusdem ab iisdem intelligenda (Sic enim exemplis deprehendi) ſcias.

48. Nec longè à Lunæ & Mercurii influentia abire *ſenſuum etiam externorũ Symptomata*, credibile reddit hoc, quòd cerebrum fons ſit ſenſuum & præcipuè nervorum ſenſualium in reliqua membra inde deſcendentium, *cooperantibus* tamen & plerumq; malorum aſpectu violatis (Saturni potiſſimum, qui Spiritus obtundit, meatus illorum obſtruit, nervos & membranas craſſiores reddit) planetis, qui membris hiſce tenerioribus præſident; Venere potiſſimum omnibus fere ex quiſiti ſenſus organis imperante.

49. Ne verò ultrà inſtitutum creſcat noſtra hac in parte tractatio, nôrint Aſtrologiæ ejusq; in Medicina uſus perſcrutandi ſtudioſi, ad duo præcipuè hoc in loco attendendum eſſe, primò ad naturam membri ſymptomate illo affecti, quemq; planetam præcipuè reſpiciat, qua de re actum *diſſ.* 1. *th.* 22. Deinde ad naturam ipſius Symptomatis, in temperie vel calida, quæ Martis; vel frigida, quæ Saturni; vel incraſſatione aut obſtructione, quæ iterum Saturni; vel motu inordinato, qui Mercurii eſt; membrum illud affligentis. Et non erit difficile vel authorem vel ſaltem eo tempore quo ingruit, motorem (conditio enim ſubjecti animo nunquam dimittenda eſt) ex ſideribus invenire.

50. Ex. g. de ſubjecto ut aliquid dicamus, morbi oculorum & aliarum pàrtium

teneriorum, aut aliâs exquiſito ſenſu præditarum, ſympromata Veneri Mercurio & ex parte Jovi, Ventriculi & Epatis Soli & Jovi, lienis iterum Jovi, ſpirituum Soli & Jovi, animalium in ſpecie etiam Mercurio, â malis læſis pro ratione effectuum, caloris immoderati â Marte, frigoris aut obſtructionis â Saturno, ſiccitatis ab utroq; &c, adſcribi debent.

51, Et hactenus de morbis atq; cauſis eorum inſe; ſequuntur pauca etiam de tempore aſſultûs ipſorum. Cui rei deſtinatæ apud Aſtrologos ſunt *directiones, profectiones Tranſitus & Revolutiones.* Directiones & profectiones hoc loco prætermittere decrevi; cauſa tùm brevitatis, ad quam priorum neceſſariâ ut nobis perſuaſimus prolixitate redacti ſumus; tum quia effectus eorum Phyſicus, profectionũ potiſſimum valdè incertus, tùm quia tempus accuratum non oſtendunt, adeoq; vel hoc nomine parum videantur adjumenti præſtare Medicis, quòd admonet etiã Origanus in Introductione de Judicio directionum: *directiones,* inquiens, *nunquam ſola conſiderandæ, ſed ſemper profectionibus* (imò his etiam omiſſis) *Revolutionibus & Trãſitibus jungi debent.* Ut ita directionis notitia per ſe nihil aut parum proſit; cum contra Revolutiones & Tranſitus etiam extra directiones efficaces in talibus, experientiâ deprehendantur

52. De hiſce ergo *Tranſitibus* atq; *Revolutionibus* pauca ut dicamus; confirmantur illæ iis, quæ ſtatim initio deharmonia cõceprionis & Nativitatis dicta ſunt. Cũ enim diximus Lunam tempore partus in locum conceptionis deveniſſe, quid aliud quàm tranſitum & revolutionem reſpectu loci? cùm eundem planetam quem in conceprione aſpexit, ſub nativitate iterum aſpicere, quid aliud quam revolutionem aſpectuum? cùm ſignum Lunæ in aliquem quatuor cardinum devolutũ clauſtra oſſis ſacri reclndere, quid aliud quam revolutionem diurnam & inde dependentes *horas Criticas* confirmavimus? Ut itaq; illa tunc mutationes maximi momenti circa conceptionem & nativitatem procurârunt, ita per totum vitæ curſum, periculum â morbis aut aliis *mutationibus in corpore* inſignioribus denuntiat 1. *planetæ alicujus ſuperioris* (mali pro mutatatione mala & morbifica quemadmodum & boni pro bona) per ſignum aliquod Apheticum *tranſitus* præſertim ſolito tardior, ur fit cum ſunt retrogradi, aut, quod immediatè antè aut poſt retrogradationem ſint Stationarii 2. *Lunæ revolutio* aut *tranſitus* per loca nativitatis præcipua (quæ etiam lex eſt *fluxus mẽſtrui* apud mulieres) in mali planetæ conjunctionem oppoſitionem aut qualemcunq; etiam aſpectum incidens. 3. Ejusdem *aſpectus* cum eo planeta quem in conceptione & Nativitate aſpexit, repetitio, quam *revolutionem aſpectuum* vel ratione aſpectuũ vocare ſoleo 4. Signorum tempore nativitatis in cardinibus ſitorum vel quatuor vel ſaltem binorum in cardines vel quaternos vel binos devolutio. Has *horas* ab Aviano initio acceptas & ulteriori indagatione atq; experientia excultas, cum etiam criſes morborum in iis contingant, *Criticas* vocare ſoleo. Fæcundior etiam vel unicè vel præcipuè talibus horis eſt ad prolem generandam concubitus. Mors etiam talibus horis natum ſolet adoriri, ſed ſitu plerumq; ſignorum contrario, ut ſcilicet occidat, quod die natali ortnm; aut imum cœli occupet, quod tunc in medio cœli ſuperbiebat. Quæ quàm pulcra atq; utilia, quamvis juxta à multorum qui in curatione ægrorum verſantur, notitia adhuc remota, *in Electionibus* docere nos poſſint, ſine invidia cum ſtudioſis, modo nè ipſi conatibus noſtris invideant, ubi eò ventum erit cũ Deo communicabimus. Interim iterum Soli DEO gloria & laus pro omnibus donis ſuis! Amen.

ASTROLOGIÆ MEDICÆ
DISPUTATIO QUARTA
DE
APPLICATIONE ASTROLOGIÆ
Ad ipſam Medicinam & ſingulas ejus partes,

RESPONDENTE
SIGISMUNDO TREW
PRÆSIDIS FILIO.

Theſis prima.

POſteaquam tribus antecedentibus Diſputationibus, partìm ex Phyſicis, partìm ex Aſtronomicis tetigimus, pro ratione inſtituti, ea, quæ ad doctrinam Influentiarum Cœleſtium fundamentalem facere viſa ſunt, nunc propiùs ad uſum eorum, in cura corporis acceſſuri, commemoratis Artis Medicæ, quas tradere ſolent, partibus, quid Aſtrologia circa eas docere poſſit, videbimus.

2. Sunt autem, juxta Medicos pleroſque, partes Medicinæ ſequentes: *Phyſiologica, Pathologica, Semiotica, Hygiene & Therapevtica*, eaque tùm *Pharmacevtica* tùm *Chirurgica*: ca: Hîc ante omnia naſcitur quæſtio; cùm notum ſit, quantùm Aſtra poſſint in rebus, ad rem Medicam pertinentibus, annon Aſtrologia, pars Medicinæ, vel præter commemoratas peculiariter conſtitui, vel ſaltem Phyſiologiæ (cùm utraque de rebus phyſicis agat) accenſeri debeat? Sanè cum in-

ſignis Aſtrorum virtus in valetudine hominis, vel inducendâ vel mutandâ, manifeſtiſſima ſit; occaſionem inter alia ſumſit inde Monſtrum illud Medicorum, Theophraſtus Paracelſus, ut paſſim in ſuis ſcriptis Aſtrorum influentias allegaret; in Medicos contrà, qui Aſtrologiam negligant, acerbè & Satyricè, tanquam ſuâ conditione indignos, inveheretur. Etſi verò ſunt ex Medicis, qui, viſô, quòd vulgus Aſtrologorum artem ſuam, præſertim ubi ad Medicinam applicare eam conantur, tàm ineptè & ſuperſtitiosè tractet, ut niſi multa rejiciantur, præſtet eam prorſus non attigiſſe; non ipſi modò totam ferè negligerent, contenti exemplis eorum, qui ſine exquiſitâ Aſtrorum notitiâ, multa laudabilia præſtiterunt in Medicina, (qua in re quemlibet ſuo ſenſu abundare permittimus) ſed etiam (quod in Rep. Literariâ ſilentio preteriri non debet) alios ab omnimodâ Aſtrorum contemplatione, tanquam non tantùm Medico, ſed in totâ vitâ inutili & ferè indigna, avocarent: Quod inter eos, qui mihi noti ſunt, præ reliquis fecerunt Andreas Laurentius & Julius Cæſar Claudinus *in ſuis Tractatibus de Criſibus* & Jacobus Fontanus Regius Medicus & primarius Profeſſor Academiæ Borboniæ Aquenſis in ſua *Aſtrologia Medica.* Quia tamen ſunt etiam, qui contrà ſentiunt & Aſtrorum doctrinam magnifaciunt, idque Ducibus, Principibus hâc in re, Galeno & Hippocrate; nos ſecuri illius quæſtionis, ſitne Aſtrologica morborum & remediorum contemplatio, pars Medicinæ, an illius miniſtra duo hîc facienda nobis propoſuimus: Primò locis quibuſdam ex Scriptis Paracelſi & ejus aſſeclis, adductis, ex quibus tanquam ex ungue leonem cognitum iri ſperamus, breviter demonſtrabimus, Paracelſum & quoſdam illius diſcipulos, ubi non modò ultrà vulgus Aſtrologorum, ſed etiam ultra Medicos hâc in parte ſapere volunt, inſcitiam potius, quàm ſalutarem Aſtrorum ſcientiam prodere Deinde, quia apud eos, qui Aſtrologiam in Medicinâ otioſam (ut leviter dicam) putant, palmarium hoc eſt argumentum, quòd

quòd imaginari ſibi non poſſint, *quomodo* (verba ſunt Laurentii) *ad momentum decubitus* (adeoque quodvis aliud) *omnium ſiderum aſpectus, influxus & converſiones obſervari poſſint, cùm & denſiſſimæ ſæpè obverſentur nubes, & ita rapidus ſit ſtellarum motus, ut conſtellatio prius avolet, quàm à nobis deprehendi poſſit.* Huic inquam argumento ut occurram, & grandem hunc phyſicarum rerum, quæ à Medicinæ ſtudioſo ſciri debent, defectum nonnihil reſarciam, modum oſtendam, *quomodo* aſſumtâ ſolâ Aſtronomorum eorum, qui, ſuo loco relictis Aſtrologorum ineptiis, Aſtra conſiderare docent, *doctrinâ ad quodvis momentum omnia aſtra, eorumq́ conſtellationes ob oculos poni poſſint.* Hoc enim ſi fecerimus, parti Medicinæ Phyſiologicæ ſi non partem, lucem tamen non contemnendam acceſſuram ſperamus.

3. Ad Paracelſum itaque primò quod attinet, is in *libro* ſuo *de Imaginibus cap. 5.* ſequentia verba ponere audet: Das recht und höchſte Geheimnüß der Aſtronomia gehet aus der Magica und bedarf keiner Rechnung / weder ſchreiben noch leſen / und iſt alſo leicht und gering / daß es auch die Bauren mögen lernen. It. *in Tractatu de morbo caduco*: Ein Artzt ſoll ein vierfacher Aſtronomus ſeyn / nehmlich in Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, Necromantia. Egregiæ Artes, propter quas non mireris Mathematicos & Veneficos eâden lege in jure civili teneri. Sed ſpecimen unum atque alterum videbimus. In *libro de ſpeculi conſtellatione*, pro ſpeculo Saturni conficiendo, ait: *Saturnum eſſe debere in 12mo Aquarii & Solem in 5° Aquarii* (Breviter die 15. Januarii, quo Sol eſt in quinto Aquarii, neceſſe eſt Saturnum eſſe in 12. quod nec illis annis, quibus vivo Paracelſo Saturnus Aquarium tenuit, nec ullo eorum, qui hactenus effluxerunt, contigit, (nedum reliqua quæ ſequuntur) Tertium, quod requirit, eſt, *ut Luna etiam ſit in 12. Aquarii.* Quartò *Saturnus* debet eſſe *in domo 12. &* (riſum teneatis Amici) *ſeptimo ipſius minuto.* Hîc ſanè non intempeſtivè quærerent Lauren-

tius & Claudinus, quomodo hæc tàm accuratè obſervari & quid intra decurſum ſeptem minutorum, unius gradus Cœli quorum quindecim horam conſtituunt, ſingula autem quatuor minuta horaria & 60. ſui generis minuta continent, ut ita integra hora nongentis minutis conſtet. Imò (quod amplius mireris & haud ſcio, rideas magis quàm indigneris, in ſpeculo Lunæ requirit unum tantùm minutum gradûs, h. e., nongentiſſimam partem horæ, decimam quintam verò minuti horarii, ictui oculi vix comparandam) operis in fundendo ſpeculo perfici poſſit. Ptolomæus, non ignarus, quòd opera Phyſica, quippe cum ſucceſſione conjuncta, ad ipſa momenta adſtringi nec poſſint, nec debeant, in ſingulis domiciliis, in quæ Themata Cœli Natalitia & alia dividi ſolent, πλάτος concedit quinque graduum, hoc eſt, trientis horæ, cuſpidibus domorum ex antecedentibus ſuis domiciliis annumerandorum. Quæritur hîc, an ſeptem illa minuta, imò unicum minutum Paracelſi ab initio cuſpidis, an verò ſeptem illorum graduum numeranda ſint? Sed nondum ſatis eſt impoſturarum. Ejus, cui tale ſpeculum faciendum ſit, *horam Natalitiam* requirit & quidem non eam, quâ natus vel conceptus ſit, ſed *quâ animam à DEO in utero materno acceperit.* Wann Gott der Allmächtige (ut habent illius verba) der Frucht in Mutter-Leib die lebendige Seel ſendet / & hoc ſe alibi docuiſſe dicit, ubi autem docuerit, non dicit, nec dicere poteſt. O verò hominem ipſâ impudentiâ impudentiorem, ejus rei horam & momentum profiteri auſum, quæ omninò ſit nec ne, nedum quando ſit, etiam inter doctiſſimos controvertitur. Cum his confer nugas illas, quas eodem Tractatu habet, *de Æquinoctio* & videbis, citiùs diſci Muſicam ab animali Arcadico, quàm unicam lineam Aſtronomiæ & Aſtrologiæ ſanioris à Paracelſo. Et hunc non pudeat inſcitiam Aſtronomiæ ſummis in Medicina viris objicere. Sed eſto reperiri in Paracelſi ſcriptis, quæ, quòd ipſius ſint, probari non poſſit & fortè, ut ajunt ejus patroni, ſuppoſititia ſint, (quamvis

vita

vita ejus ita fuerit comparata, ut, quæ rectè in ipſius ſcriptis habent, faciliùs quàm quæ abſurdiſſima ſunt ſuppoſitia, quibus ſcilicet color mendaciis ipſius concilietur, putari poſſint) ſed eſto, inquam, talia vel ipſius non eſſe vel ſolius eſſe, eſſeclas autem illius à talibus abhorrere; videbimus alios. Quamvis jam viderimus ex parte *Diſp. 2. Th. 22. & ſeqq.* ſed videamus inquam alium adhuc, unicum ſaltem.

4. Oſtenſum mihi non ita pridem eſt ſcriptum, cujus authorem in ſcriptis præſtantiſſimorum Chymicorum verſatiſſimum eſſe, res ipſa & potiſſimum allegata oſtendunt. Titulus libri eſt: *Aſtronomia inferior.* Nomen Authoris: *Marcus Fridericus* Roſenkreützer. Hujus verba de ſtanno, quod Jovem vocant, ita habent: Es ſey den andern Metallen ſo gantz und gar zu wider / daß es derſelben Peſtilentz und Teuffel nicht unbillich genennet werden möchte. Similia, quamvis verbis mitioribus alios etiam de ſtanno docere *Diſp. 2. Theſ. 29. Aſtrol. Medicæ* audivimus. Et inde collegimus, metallum hoc Jovi (planetæ extra controverſiam optimo) ſubjici non poſſe. Sed quid ille? ſenſum omnium Aſtrologorum & ſuum ipſius proprium, ſi vel parum Aſtra novit, impugnat, cùm eâdem paginâ ait: Er ſey dem äuſſerlichen Anſehen nach (imò etiam experientiæ & quidem univerſalis ductu) ein gnadenreicher / gütiger und friedlicher Planet / aber ſein zugeeignetes Metall / das weiſe viel ein anders. Hæc ille. Non ergò ex Aſtrorum ſcientia artem, ſed ex arte ſuâ Aſtrologiam & quidem abſurdiſſimam extruere conantur hi homines. Sed electionis exemplum ex eodem allegare liber, & tale quidem, quod initiò pro joco riſi, donec vidi, quòd etiam ad preces contemplatorem & uſurpatorem hujus conſtellationis adhortetur. Pro inveniendo ſpiritu Mercurii, quo in Sole, hoc eſt, Auro cùm conficiendo, tùm potabili reddendo, uti ſe dicunt, *pag. 176. 177.* talem conſtellationem requirit: Wann du mit Hülff der himmliſchen Minervæ und irdiſchen Vulcani dieſe deine Arbeit recht beſtellen wilt / ſo ermahne

mahne ich dich / damit du wol Achtung darauf gebeſt / daß gleich bey ſolcher Zeit der Stand deß geſtirnten Himmels und Lauff der Planetnn beſchaffen ſeyn ſoll / wann im Meridiano in Oſten (in faſtigio templi ſub veſtibulo: quomodo quæſo in ortu ſi in Meridiano?) herfür ſtreicht der Grad deß Drachen-Haupts *cum lucida Hydræ & corde leonis* (unicus gradus cum hiſce duobus ſideribus nec Meridianum, nec Horizontem ſtringere poteſt, cùm gradus cum illis aſcendentes vel culminantes in meridiano decem, in Horizonte quindecim ferè graduum intervallô ab invicem abſint) und faſt eben ſo viel Grad deß Widders / mit dem capite Meduſæ im hohen Mittag ſchweben (cor Leonis hodiè ferê eſt in 25. gradu Leonis, ab hoc totidem ferè gradus Arietis quatuor ſignis abſunt, qui adeò corde Leonis Horizontem ſtringente, ultra Meridianum neceſſariò progreſſi ſunt, verſante verò illo in medio cœli, infra Horizontem occidentalem deſcenderunt. Caput verò Meduſæ culminat cum 13. Tauri, quando ergò 25. gradus Arietis cum illo & quidem corde Leonis vel culminante, vel occidente, in Meridie verſabitur?) die Sonne im ſiebenden Hauß ſamt dem Mercurio will untergehen (Solem, ſi in ſeptimâ domo ſit, occaſui unâ cum Mercurio, ſi illi junctus ſit, vicinum eſſe, tàm eſt per ſe manifeſtum, ut he pueri quidem docendi, ſed quid porrò?) der Volle Mond aber nahe bey dem Drachen-Schwantz ſich befinden laſſe (ſi, quod ante requirebatur, caput Draconis eſt vel in Oriente vel in medio cœli, cauda Draconis neceſſariò erit vel in occidente adeoque Soli occidenti conjungetur, vel in imo cœli, ergò quadrante diſtabit à Sole occidente, quomodo ergò luna ipſi juncta plena, hoc eſt, ſemicirculo à Sole diſſita erit?) Sed parabolica ſcilicet locutio eſt (ut habetur in margine: & ego, ut verum fatear, poſtea demum, cum hæc ſcripſiſſem, animadverti) quid ais? parabolen continent verba tua? cujus rei, quâ cum re? verâ an falſâ? ſi vera, oſtende; ſi falſa, & ut hactenus

vidimus,

vidimus, ſibi ipſis contradictoria, quomodo rem veram cum ea comparare potes? Sed fucus eſt. Expreſsè enim dicit, loqui ſe de cœlo ſtellato, von dem geſtirnten Himmel/ ubi tamen talia non dari ex dictis patet. Hæc de manifeſtè falſis. Alia, ſi qua habent hi vel alii ex vulgaris Aſtrologiæ Hypotheſibus, ſicubi videbitur operæ precium ſuis locis tangentur.

5. Quærat autem fortaſſe quiſpiam, quandoquidem ex habitis anteà de hâc materiâ diſputationibus appareat, multa me in Aſtrologia vulgari rejicere, an ergò ii, qui illam hactenus in Medicina ſecuti ſunt; rectius, an minus rectè fecerint iis, qui prorſus neglexerunt? Reſpondeo, rectiùs omninò feciſſe, qui illam non prorſus neglexerint. Nam 1. non omnia vana ſunt quæ in Aſtrologia vulgari habentur. Aſpectibus quippè ſaltem, quæ nucleum Aſtrologiæ continent, remanentibus. Ad quos præcipuè reſpexiſſe D. Eichſtadium apparet ex aureo ipſius Tractatu *de Criſibus, Introductioni in ſecundam partem Ephemeridum inſerto*, licet ſigna non auſus ſit prorſus rejicere. Non tàm, àm, ut ego puto, quod infallibi experientia effectum illorum deprehenderit, quàm quod contrarium etiam non ita compertum habuerit, ut nihil omninò poſt illa latere, auſus ſit pronunciare. Quòd 2. nihil aut parum damni, quod quidem animadverteretur, dare in Medicina potuit, niſi, ut ita loquar, privativè, hoc eſt, ut v. gr. Luna verſante in ſigno aliquo, quod Medicinæ aut operibus (Chirurgicis) non ſatis videretur commodum, cùm tamē non ſit, occaſionem commodam curationis felicioris intercipere potuerit, non tamen prorſus excludere, niſi quis nugas illas pluris fecerit, quàm indicationes & ſaltem ipſum caſum neceſſitatis, quod ipſe Herlicius, non Medicus minus, quàm Aſtrologus celebris, diſuadet & in curatione, *ægri conditionem potius, quàm ſigna cœleſtia reſpicienda docet*, in appendice Calendariorum ſuorum, ubi Electionum regulas tradit. Accedit & hoc 3. quòd ex iis regulis, quæ vitioſæ ſunt, pleræque prohibitivæ

ſint,

ſint, quæ autem mandant vel concedunt aliquid, majori ex parte bonæ, ut ſunt quæ habentur de aſpectibus bonorum planetarum, quas prudentiores & ſapientiores ſine dubio ſecuti, in aliis autem ita verſati ſunt, ut appareret non eſſe ipſos Aſtrologorum mancipia, licet ubi recta ratio boni aliquid ex ipſis dictârit, non prorſus exiſtimârint aſpernandum. Hos uti non dubito, quin fronte ſerenâ tùm hæc, tùm ea, quæ porrò dicemus, lecturi ſint, ita obſecro, ne in ſe dicta putent, quæ fortè de iis dicentur, aut hactenus dicta ſunt, qui Aſtrologiam in Medicina inutilem eſſe, non tàm credere, quàm, ne ſoli videantur credere & neſcire, aliis perſuadere velle videantur.

6. Qui autem (ut ad uſum Aſtrologiæ in Medicina propius accedamus) omiſſis Aſtrologorum ineptiis, Aſtrorum ſcientiam ad Medicinam accuratius applicare volet, is ſumat primò locum Solis in Meridie diei dati, huic quærat in Tabula Aſcenſionum Rectarum, quæ in omnibus ferè libris ſphæricis paulò ſaltem luculentioribus, habetur, Aſcenſionem rectam illi reſpondentem. Huic toties addat quindecim gradus, quot horæ, & toties minuta quindecim, quot minuta horarum ad tempus datum (ſive ſit natalitium, ſive decubitus, ſive quodcunque, ad quod notitia Aſtrorum requiritur) elapſa fuerint. Summa (abjecto quod ſemel in talibus notari ſufficiat, integro circulo, hoc eſt, 360. gradibus, ſi numerus ultra eum excreverit) vocatur Aſcenſio recta Medii cœli ad tempus datum. Et hæc iterum quæratur in Tabula aſcenſionum rectarum & quidem in ejus area, ſignum in fronte & gradus in latere tabulæ dicto gradui reſpondens, eſt gradus Medii cœli ad tempus datum. Ab aſcenſione recta Medii cœli numerentur gradus nonaginta aſcenſioni Rectæ Medii cœli iterum adjiciendi, ſumma graduum provenientium, quæratur in area tabulæ Aſcenſionum obliquarum Elevationi poli loci tui convenientis. Gradus in latere tabulæ, gradibus dictis Æquatoris & ſigno in fronte reſpondens, erit gradus oriens, Heroſcopus vulgò dictus.

Habes

Habes itaque gradum Medii cœli & Orientis ſive Horoſcopi. Gradus è diametro reſpondens illi, erit gradus imi cœli; Qui autem Horoſcopo è regione reſpondet, eſt gradus occidens, quem ſeptimæ domus cuſpidem vocant. Notetur & hoc ſemel, partem proportionalem, ut vocant, in gradibus & minutis Æquatoris & Zodiaci inquirere, præſertim ſi otium non ſuppetat, operæ pretium non eſſe, ſed ſufficere, ſi pro ſummâ minutorum, gradûs medietatem ſuperantium, ſumatur integer gradus, ſi verò minor ſit medietate, negligatur. Atque ita habentur quatuor cardines, qui quoties iterum cardinem aliquem occupant, (ſive omnes quatuor, ſive bini ſaltem) toties conſtituunt horam aliquam Criticam, ut *Theſi ultima Diſput. 3. Aſtrolog. Medicæ* vocavimus. Conſtituunt autem hi gradus & cardines Aſtrologis initia domûs primæ, quæ orientem, quartæ, quæ imum cœli, ſeptimæ quæ occaſum, decimæ quæ medium cœli obtinent. Et habent quidem apud Aſtrologos ſignificationes peculiares, v. g. prima vitæ & aliarum rerum naturalium, quarta bonorum immobilium, ſeptima conjugii, decima honorum &c. Sed iſta, ut & in intermediis, non opus habet, ut attendat Medicus. Quippe qui ſcire debet, nullum eſſe in cœlo punctum, ex quo, ſi ſtella ibi ſit conſtituta, mutatio aliqua valetudinis provenire in ægris non poſſit. Quicquid ſit de rebus aliis, quas ventilari apud Medicos non eſt opus, ſciendum tamen ex *Diſputatione primâ*, operationes, quæ à locis cœli, qua talibus, proficiſcuntur, in quatuor hiſce præcipuè fortes eſſe.

7. Domicilia verò intermedia, quæ bina binis adeoque octo quaternis cardinibus inſerentes, duodecim in univerſum conſtituunt, ut pleraque de contingentibus agunt (exceptis ſcil. domo ſextâ, quam ad morborum, & octavâ, quam ad mortis ſignificationem aſtringunt, cùm tamen nec hæc mortem magis, quâm ſeptima, nec illa morbos magis, quam quivis cœli locus à malo planeta obtentus, vel afferat, vel ſignificet) ita

inquirere pro uſu Medico operæ pretium vix eſſet, niſi faceret ad commodiorem planetarum inſcriptionem & diſtantiæ eorum à proximis cardinibus oſtenſionem. Poſſunt ergò vel ex tabulis domorum Aſtrologicis Origani & aliorum deſumi, vel, quoniam à vulgo Aſtrologorum nos ſejunximus, in illis inveniendis ita procedi, ut ſigna & gradus Zodiaci, tricenis quibuſque gradibus ab hiſce cardinibus numeratis reſpondentes pro cuſpidibus domiciliorum illorum intermediorum habeantur. Ita ſimul hoc habetur commòdi, ut inde appareat, quanto circiter temporis intervallo quodvis ſignum aut planeta in eo conſtitutus abſit à cardine proximò, præſertim Decimo quæ res multa egregia docere poteſt, in horis Criticis. confer Diſp. *1. Theſ. 42. 43. & Nucleum Aſtrologiæ correctæ cap. 1.*

8. Loca Planetarum reliquorum vel computari, ut dictum, ex Tabulis vel deſumi ex Ephemeridibus probatis poſſunt. Quorum poſterius brevius & pro iis, quibus Aſtronomiam ex profeſſò tractare non libet, facilius. Motus diurnus (quem ſubtractio locorum utriuſque diei docebit) ſingulorum, dividatur in partes 24. & harum tot adjiciantur loco à meridie, quot horis ab illo tempus â te quæſitum, diſceſſerit, ſi planeta ſit directus, ſubtrahe, ſi retrogradus. Aſpectus, de quorũ efficacia *Diſp. 1. Theſ. 64. 65.* habebuntur inter binos Planetas ex eorum intervallis ab invicem. Si enim intervallum illud erit ſex ſignorum, oppoſitio, ſi quatuor, Trigonus, ſi trium, quadratus, ſi duorum, ſextilis erit, ſi (ut plerumque fit) aliquot gradibus pro ἀκριβεία partilitatis ut vocant, talis Aſpectus vel abundet vel deficiat, vocatur Platicus, in appulſu ſi celerior Planeta ex duobus pauciores, in defluxu ſi plures gradus habeat tardiore. Et efficax nihilominus eſt talis aſpectus præſertim in appulſu, ſi illa differentia iter Lunæ diurnum (quæ ſua cum illis conſtellatione efficaciam eorum auget & in actum evidentiorem deducit) non ſuperet, ut ego quidem ex iis quæ de Luna modò dixi, colligo, quamvis vulgaris Aſtrolo-

gia

gia anguſtiores ſtatuat terminos illos, ratione autem nullâ, quàm ego quòd vel legerim vel ipſe divinarim meminiſſe poſſim, allegatâ.

9. Cùm verò & horarum criticarum ſæpè facta & deinceps futura ſit mentio, adeoque expediat in curatione morborum difficilium notitiam earum ad quodvis tempus habere, itaque mihi in more poſitum eſt, ut quibus horas natalitias deſcribo Tabulam etiam integram horarum criticarum per totum annum adjungam. Quia verò talis Tabula non omnibus eſt in promptu, docebo hîc modum, quomodo, Themate ſemel erecto, horæ illæ ad quemvis diem totius anni haberi poſſint. Quærantur quatuor cuſpidum Natalitiorum ſeu ſignorum & graduum Apheticorum aſcenſiones tùm rectæ, tùm obliquæ (juxta elevationem poli loci dati) omnium harum aſcenſionum ſibi invicem juxta ordinem graduum æquatoris ſubſcriptarum differentiæ ab aſcenſione recta loci Solis diei dati in horas redactæ oſtendent intervallum cujuſvis horæ criticæ à Meridie diei dati ſequentis ſi gradus aſcenſionis illius aſcenſionem rectam Solis ſuperent, antecedentis ſi ab ea ſuperentur.

10. In figura ita erecta & ſtellis in ea poſitis, conſiderentur conditiones fortioris vel debilioris influentiæ, quæ quamvis diſputatione prima explicatæ ſint; ut tamen hîc ſub unum aſpectum revocentur, videndum dicimus, ſitne ſidus aliquod in conſiderationem veniens in aſpectu, vel ſine aſpectu, idque in appulſu an verò in defluxu, culminans cum alio ſive actu ſive ſaltem potentia (ſi ſcilicet cum ipſo ſit in eodem circulo declinationis, licet non ſit ſub Meridiano) creſcatne lumine, an decreſcat, tardum ſit an velox, ſupra terram an infra terram, in parte cœli orientali, an occidentali. In aliquo quatuor cardinum, an extra illos, in medio cœli, vel in Oriente, an in imo cœli, aut Occidente. In ſpecie (potiſſimum ſi figura ſit decubitus, Revolutionis, aut ſimilis negotii poſt Nativitatem) ſitne

 planeta

planeta Dominus Nativitatis (de quo *Diſp. 3. Theſ. 19.*) an aliquis reliquorum, ſitne in ſigno Aphetico (ita vocantur ſigna Ortus & Medii cœli, Solis item & Lunæ) aut quod perinde ferè eſt, in loco his oppoſito, an extra illa, celebretne revolutionem ſive loci ſive aſpectus. Priori ex binis hîc poſitis, caſu & ſtatu fortiores ſunt, ſeu potius fortius cum ſuis operationibus ſentiuntur, poſteriore minus fortiter. Et tales fortitudines ſi contingant planetis bonis, tunc in Nativitate ſive in revolutionibus naturam fortem & valetudinem ſecundam, in Themate verò decubitus facilem morbi curationem: ſin malis, valetudinem adverſam pro conditione potiſſimùm eorum membrorum, quæ â planetis malis læduntur & curationem morbi præſentis difficilem oſtendunt, ſaltem tantiſper, donec malorum illorum Planetarum conſtellationes in defluxum veniant. Dignitates & fortitudines planetarum Aſtrologiæ vulgaris, in his non comprehenſas vanas & falſas eſſe ex *Diſp. 1.* liquere putamus. Juxta dictas verò conditiones ſidera â Medico ſaltem in curatione morborum difficilium conſiderari neceſſaria ſaltem ad benè eſſe exiſtimamus. Satis itaque de ea Phyſiologiæ & conſequenter Medicinæ vel parte vel illuſtratione quæ hactenus prætermiſſa eſt, tranſimus ad partes illius eas, quas Medicinæ ſcriptores hodieque ex profeſſo tractant. Primum Phyſiologiæ caput, ut à Medicis tractatur, apud D. Sennertum eſt *de Medicinæ conſtitutione & diviſione*, quam ſuo loco reliquimus. Tertium eſt *de ſanitate*, apud alios *corpus humanum quatenus ſanitatis capax eſt*, utrum dicas ad ſanitatem potiſſimum reſpici palam eſt. Quartum eſt *de Temperamento.* Duo hæc quid debeant ſideribus & quomodo de ipſis ex ſideribus judicandum ſit, dictum eſt *Diſp. 2. Theſ. 32. Diſp. 3 Theſ. 20. 21. 22. 23.* De naturis ab ipſis Planetis denominatis, conferant Medicinæ Studioſi ipſius D. Sennerti verba *lib. 1. Inſtitut. cap. 4.* quibus non modò confirmantur ſed & ad uſum applicantur ea, quæ *Diſp. 3. Theſ. 19.* de domino genituræ

dixi-

diximus. Et hoc adeò verum eſt, ut experientia doceat, temperamenta, lineamenta faciei, mores & inclinationes liberorum ſe qui naturam ejus parentis cum quo planetas natalitios communes habeant, idque poſthabito ſexu, adeò, ut ſæpè filius matri, filia patri in hiſce ſimilior ſit, quàm alteri cujus ſexum repræſentat. Quod licet fieri quotidiè videamus, quomodo tamen fieri poſſit à nemine Aſtrologiæ ignaro vel explicatum vidi, vel explicari poſſe exiſtimo. Quodſi, ſicut non rarò fit, à nemine autem niſi qui Aſtra intuetur conſpici poteſt, ſingularis aliqua nec patri nec matri propria conſtellatio in conceptione vel Nativitate concurrat, inſigniter diverſum quid circa temperamentum, ſtaturam, morbos & id genus alia quæ à parentibus putantur derivari, nato adjicietur quod apud inſulſos & tales cauſas non conſiderantes, exiſtimationem de matris etiam caſtiſſimæ pudicitia dubiam reddere poſſit.

12. Quintum caput apud ipſum eſt *de calido innato*, ubi quæritur ſitne id Naturæ ab Elementis diverſæ & quinta quædam eſſentia & quidem cœleſtis? Ego ut cum Ariſtotele ſtatuo Elementa non niſi potentia in corpore perfectè mixto, cujuſmodi vel maximè humanum eſt, contineri, & quintam eſſentiam non agnoſco aliam, niſi eam ipſam, quæ ex mixtione quatuor Elementorum (qualia ſcilicet ſunt poſt creationem ſecundam, hoc eſt, non primis tantùm ſed & ſecundis & tertiis qualitatibus prædita) reſultavit: ita περίεργον puto quærere, ſitne hæc natura cœleſtis an Elementaris? Materialiter ſcilicet Elementaris eſt, motibus autem ſuis motui cœleſti reſpondet. Diverſum quid præter hæc, in hominis aut cujuſcunque rei ſublunaris natura ſi quis cominiſcatur, eum Entia præter neceſſitatem multiplicare puto. Et cœleſte illud neſcio quid, quod ſibi hi authores imaginantur, nihil hactenus videre potui aliud, quàm arctiſſimum cum ſideribus Natalitiis eorumque motu & varietate conſenſum. Quid ſi verò dicam, calidum illud, poſito quòd ſit aliquid à corpore reliquo diverſum, non

eſſe tamen totâ ſubſtantiâ diverſum â ſanguine, qui fermentatione ſuâ Aſtrorum revolutioni (diurnæ potiſſimum unde horas criticas Theſi ultimâ Diſputationis noſtræ tertiæ provenire diximus) reſpondeat & ab illa motum & menſuram ſuſcipiat.

13. Adhæc ſequitur apud eundem doctrina *de partibus ſpiritibus & facultatibus*. Partes corporis humani ut & ſpiritus quid ſideribus acceptum ferant, dictum eſt *Diſp. 2. Theſ. 32.* Ad humores quod attinet, ſanguinem ſive ſeparatim conſideretur, ſive pro potiori parte maſſæ ſanguineæ, reliquos humores ſimul continente habeatur, Jovi præcipuè attribuimus. Bilem Marti ſubjiciendam conſpicuum inde eſt, quòd ſub tranſitu Martis per loca aphetica bilis moveatur & quidem ita, ut ſi motus tardior ſit, aut ſtationi vicinus, morbos bilioſos excitet, ſin celerior aut ſaltem mediocris, excrementa moveat & educat. Quod ideò moneo, ne, cùm à Tranſitibus cavere jubemus, id accipiatur ſenſu craſſè Aſtrologico, quaſi tranſitus malorum planetarum per loca Aphetica ſimpliciter mali imò planè & per ſe mortiferi ſint, cùm tamen bonum etiam in natura uſum habeant. Mars ſcilicet, ut dictum, ut excrementitios humores moveat & irritando exire faciat, Saturnus verò quæ coagulanda ſunt, coagulet, utque membra ſolidiora in ſua natuaa confirmet. Et hinc eſſe videtur, quòd infantes quidam brevis vitæ paulò ante obitum citius ſolito creſcere, adulti quidam craſſeſcere ſoleant, ad ſomnum proniores ſint, appetitum etiam cibi, quem Melancholico humori tribuunt, vehementiorem habeant. Quæ licet, ut plerorumque eſt vivendi ratio, frequenter morboſam conſtitutionem habeant pediſſequam, ſine dubio tamen Aſtrorum intuitu ad mediocritatem imò ad ſalutem hominis ſæpè reduci poſſent, niſi vel ignorantia horum obſtaret, vel Aſtrologia vulgaris Phyſicam & ſolidam Aſtrorum ſcientiam tantoperè inquinâſſet, confer *Th. 43. Diſputationis antecedentis*. Et ex his reliqua etiam quæ de facultati-

cultatibus dicuntur, quomodo de influentia ſiderum partici-pent, & potiſſimùm, quomodo generatio & hujus vel illius facultatis apud quoſdam agilitas, apud quoſdam languor inde dependeat, facilè intelligitur.

14. *Secundam Medicinæ partem*, quam *Pathologicam* vocant, videlicet de morbis, ſatis prolixè pro inſtituto perſecutus mihi videor diſputatione antecedente tertia *à Theſi 23. uſque ad finem*, aut certè ex iis, quæ de ſignis deinceps dicentur. Cum pleraque talia ſint ut morbos non tantùm ſignificent, ſed etiam inducant) peti poſſint.

15. Ad partem itaque Semioticam quod attinet, quicquid videatur iis, quibus vulgaris & communiter cognitæ Aſtrologiæ vanitas collationem valetudinis vel ſecundæ vel adverſæ cum Aſtris exoſam fecit, cùm experientiâ, tùm rationibus deprehenſum mihi eſſe affirmo, multùm hîc ſideribus tribuendum; adeoque non poſſe non probare Elogium Andreæ Argoli Medici juxta atque Aſtrologi Patavini celeberrimi, quod habet *in Tractatu de diebus criticis in titulo, cap. 2. l. 1.* ubi affirmat, *prognoſtica de ægritudinũ eventu rationabilius evidentiusque fieri ex Aſtrologicâ ratione, quàm arte Medicâ.* Et hoc docuiſſe me puto magna ex parte *poſteriori parte Diſputationis tertiæ* modò citatæ, ubi morborum cauſas, quatenus in ſideribus ſint, commemoravi. Ut tamen eaſdem quatenus ſignorum rationem habent, pluribus paulò declarem; proſtare dico ex Aſtris ſigna valetudinis adverſæ duobus potiſſimùm temporibus; primò Natalitio, ubi fortior conſtellatio Saturni & Martis, præſertim ſecum invicem, bilioſos: ipſe Saturnus in ſe obſtructioni & frigori, Mars ſiccitati & calori nimio obnoxios ſignificat. Quodſi inſuper cum aliis etiam Planetis radios commiſceant, mala illa tactura ſi non ſtatim, eô tamen tempore, quod mox dicturi ſumus, colliges, ea membra, quæ illis Planetis ſubjecta eſſe ex *Diſputatione ſecundâ Theſi 32.* didiciſti. Tempus alterum, quod nos dicturos promiſimus, eſt id, quod

Theſi

Theſi ultimâ Diſputationis tertiæ tetigimus, Revolutionum, præcipuè & Tranſituum, ubi in actum deduci ſolent ea, quæ conſtellationes Natalitiæ minatæ ſunt.

16. Etſi verò Medicis non deſunt ſigna ipſorum arte deprehenſa, & ex ipſa ægri conditione petita, eaque nequaquam negligenda: Duo tamen ſunt, propter quæ ab Aſtris etiam deſumta ſigna non negligi debeant. 1. Quòd innoteſcere ſaltem probabiliter poſſint, antequam morbum illum, quem ſignificant, actu inducant, (per computum ſcilicet Aſtronomicum) imò antequam actu extent. Quorum utroque caſu multa utilia monere poſſunt, non modò pro præſervatione à morbis illis quos adducunt, ſed etiam prudentiori curatione eorum, quos nondum adduxerunt. v. g. ſi vel æger ipſe, vel Medicus ex ſideribus Natalitiis cognoverit; propenſum eſſe talem ad morbos præcalidos, cavebit eò diligentius in morbis etiam non calidis, ne curatione Scyllam vitare volens, in Charybdim incidat. Ubi non eſt quod alterum contrarium à contrario elidi, & ut proverbio vulgari dicitur, gladium à gladio in vagina cohiberi putes. Sed utrumque, tempore tamen plerumque diverſo in effectum exit. Quia enim ſidera phyſicè incorruptibilia & tùm in virtutibus tùm in actionibus, quatenus ab ipſis procedunt, immutabilia ſunt; effectuum illorum ſi fructum non ſtatim producere poſſunt, ſemina ſpargunt, quæ ſive Revolutionibus & Tranſitibus longo ſæpè tempore poſt ingruentibus, ſive etiam Medicinalibus laceſſita in effectum erumpunt. Quorum neutrum de iis ſignis, quæ ægritudo per ſe ſuppeditat, dici facilè poteſt; quippe quæ cum, quantò ſunt certiora, tantò propius cum effectu ſuo conjuncta ſint, itaque pro præſidio parùm proſunt. Quid enim prodeſt ſcire, v. g. ægrum facie Hippocraticâ, ut vocant, præditum, moriturum eſſe, niſi quòd ſolertiam Medici prædicentis commendet & verbis ejus etiam ubi ſalutem prædicit, authoritatem & ægro fiduciam, multum ſæpè ad convaleſcentiam facientem,

conci-

conciliet. A ſideribus autem petita prognoſtica etſi magna ſæpè pericula denunciant, & talia, quæ niſi iis præveniretur, mortem afferrent, ſi tamen maturè fiat illa prædictio, (uti ſanè quam maturimè volumus, haberi poteſt) non omnem convaleſcentiæ ſpem, præſertim ſi Medicina ad Aſtrorum viciſſitudinem accommodetur, præſcindunt.

17. Innoteſcunt autem ſigna illa erectione figuræ cœleſtis, quam pauló ante docuimus, ſive in Nativitate, ſive poſteà in die natali revertente, quam revolutionem annuam vocant, ſive ad tempus decubitus, in quibus duobus poſterioribus duo duxi monenda, quæ ſupra nondum tacta ſunt. 1. Communem quidem Aſtrologorum eſſe ſententiam: Revolutionis annuæ figuram ad horam illam eſſe erigendam, quâ Sol ad ipſum illud minutum pervenerit, quod in Nativitate obtinuit. Cùm verò nullâ obſervatione deprehenſum ſit, vel gradum loci Solis, nedum minutum unum atque alterum, tantum in obſervationibus ejus Aſtrologicis, hoc eſt, operationum Phyſicarum (in Aſtronomicis enim nulla poteſt nimia eſſe ἀκρίβεια) momenti afferre: Hora verò natalitia etiam ſignorum natalitiorum, adeoque totius firmamenti & cœli ſtellati: loca illius temporis ſecum afferat, adeoque cum revolutione Solis integrum gradum à veritate non aberrante revolutionem diurnam, quæ totius firmamenti eſt, ſimul ob oculos ponat, nedum quòd tranſitus per ſigna Aphetica ſi qui vel actu jam ſint, vel in Natali immineant, nullo labore appareant, cùm in vulgari illo modo operoſè demum inquirendi ſint, omninò præferri debet erectio Thematis ad horam nataliciam facta, ei quæ fit ad illud momentum, quo Sol minutum natalitium in revolutione aſſequitur. 2. Ad figuras, ad decubitum in morbis erectas, quod attinet, ſciendum eſt, duplicem errorem Aſtrologiæ Medicæ Studioſo obverſari poſſe: primò incertitudinem primi momenti decubitus, non tantùm in morbis lentis, ſed etiam in acutis, ubi multi ad tempus ſatis magnum malè

habentes non facilè tamen decumbant, antequam à morbo penitus proſternantur. Hîc rectius, meâ ſententiâ, faceret Medicus, ſi ad horas criticas, ſæpè hactenus celebratas, & ſæpius deinceps celebrandas, reſpiceret, quàm ſi omnia, à tàm incerto decubitus momento, ſuſpenderet.

18. Deinde ſi maximè primum decubitus momentum, accuratiſſimè cognitum ſit, alius tamen reſtat ſcrupulus. Sanè poſitis iis, quæ de horis criticis *Th. ult. Diſſ. antecedentis* diximus, certum eſt duo ſaltem, ſi non omnia quatuor ſigna cardinalia decubitus cum Natalitiis neceſſariò convenire. Notandum tamen, hoc eſſe diſcriminis, quòd ſigna natalitia, ut patet ex *Th. 18. Diſſ. tertiæ*, ad certum gradum adſtringantur, operatio verò, ex eorum revolutione ſequens, πλάτος ſuum habeat, ut, v. g. ſi quis natus ſit culminante primo gradu Arietis, is ſi ægrotet graviter, etſi ſine dubio circa id tempus, quo primus gradus arietis vel libræ oppoſitæ Medio cœli vel Heroſcopo iminebit, decumbet; præciſum tamen morbi initium non differetur, donec gradus demum lineam Medii cœli vel Horoſcopi exactè ſtringat (licet tunc gravior ſine dubio futurus ſit talis impetus) ſed cum ad illum accidere incipit, horâ fortaſſè vel etiam bihorio (prout morbus adeoque impetus illius magnus eſt) ante illam culminationem. Et hinc fortaſſè cauſa reddi poteſt, *cur febris diu duratura ſubinde anticipet, remiſſura autem, tardius ſubinde febricitantem invadat?* ideò ſcilicet, quia anticipatio illa malum oſtendat majus & minore fortitudine gradus aphetici opus habens; tardatio verò oſtendit malum remiſſius & gradus aphetici fortiorem & propiorem ſtimulum deſiderans. Hinc etiam natum puto, quòd apud *Andream Argolum in Tractatu de diebus criticis* inter 61. exempla tantùm 26. ſint, in quibus duo ſaltem ſigna Cardinalia decubitus cum Cardinalibus Natalitiis conſentiant. Præterquam enim quòd ille virtutis horarum Criticarum ignarus, vulgaris Aſtrologiæ regulis à veritate nonnihil abduci potuerit, cauſa etiam ſub iis,

quæ

quæ modò diximus, latere poteſt. Si enim intelligas morbum non cæpiſſe tunc, cùm gradus natalitii cardines ipſos præciſè occupaſſent, ſed ante, & fortaſſè tantò longius ante, quantò morbus fuerit gravior, & tunc demum, cùm ſaltem cardini alicui immineret; non miraberis, quòd, præſertim in iis, ubi gradus ille cardinalis ſigni Natalitii Aphetici eſt in Signi initio, ſignum antecedens potius, quàm natalitium cardinem obtineat.

19. Et hinc *duo* naſcuntur *conſilia in praxi valdè utilia*. 1. Ut potius ad horam criticam momento decubitus vicinam, quàm ad ipſum decubitus momentum, pro erigendo Themate decubitus reſpiciatur, & hoc haberi poſſe ex tempore natalitio dictum eſt, tùm hac tùm antecedenti Diſputatione. 2. Si autem tempus natalitium ægri ignotum, nihilominùs tamen non tàm ad primum decubitus momentum quàm ſaltem ad dimidiam horam poſt exactum mutationis tempus determinandum videri.

20. Ad Criſes ut accedamus pulchrè de iis Argolus *Tract. de diebus criticis lib. 1. cap. 14.* Nos, inquit, *à propria rei Etymologia eſſe criſin judicium affirmabimus, ægritudinis ſalute vel morte terminandæ: in quo judicio natura Actor eſt, virtus ægroti reus, humores & ægritudo ipſa cauſa: Judex, influxus ſuperiorum corporum, ex quibus judicium Criſis publicatur.* De his porrò & mortis præſagio potiora attigi *Diſp. proximè antecedente Theſ. 32. 33. 34.* Solas enim Electiones ultimæ huic Diſputationi, tunc temporis, initiò deſtinaveram. Quia tamen altius rem conſideranti plura etiam alia reſtare videbantur, quæ declaratione opus haberent, etiam hâc in parte ſpicilegium agere conſtitui. Quæritur ergò primò: *Quinam ſint dies critici?* Reſpondet Hippocrates; *diem quartum, ſeptimum, undecimum, decimum quartum.* Ulteriores, ſi non prorſus, ſaltem ab altiori examine excludere videtur idem Hippocrates *Aphoriſmo 23. Sect. 2. Acuti morbi.* inquiens, *intra 14. dies judicantur.*

 Non

Non puto, quòd quæ de reliquis dici poſſint, prorſus vana ſint; ſed quod impetus morbi exactus deferbuiſſe viſus non multum admirationis parere debere videatur, ſi in mora ultra dies 14. in re rariori non omnia quæ ad dies ſpectant exactè ad regulam quadrent. Quæritur ſecundo; *cur hi præ reliquis? & an ſufficiens ratio ex ſideribus reddi poſſit?* Reſpondeo; ut in aliis rebus, ita etiam in hâc, ſubjecti conditiones aſſumendas eſſe. Nam, ut Criſis fiat, duo ad minimum requiruntur, excretio & excretorum antecedens, ut ad excretionem apta ſit, maturatio. Cùm verò hæc ſucceſſionem ſeptem dierum, ut audivimus, excretio autem breve quiddam & ferè momentaneum deſideret, hoc eſſe à conditione ipſius humoris, tale tempus pro maturatione ſui deſiderantis, quemadmodum fructus tùm plantarum, tùm animalium, alii longiorem alii breviorem maturitatis ſuæ periodum (cœleſti tamen alicui commenſurabilem) habent. Pro excretione verò fateor mihi ſententiam, quam ante aliquot annos foverim, ab aſpectibus ſcilicet & quidem à ſextili derivare volens, non amplius probari. Præſertim circa ſeptimum diem; qui frequentiſſimus eſt. Quia ſi morbus cæperit ſub conjunctione ſive ſextili, ſive quadrato, ſive trigono, Lunæ cum planeta aliquo, ſeptimus plerumque vacuus eſt. Proximus Sextili eſt quadratus, qui cum Saturno quidem & Jove in Quadratum in ſeptimum, cum Marte verò præſertim ſi celerior eſt, plerumq; in octavum, interdum in nonum diem incidit, ſi primo die conjunctio fuerit. Cùm verò Saturnus tantùm lentis, Jupiter nulli facilè morbo initium præbeat, & conjunctio cum quovis planeta non niſi unica quovis menſe fieri poſſit, non apparet ſane, quomodo rei tàm frequentis (affirmante quippe Galeno *ſe unicâ æſtate plures, quàm quadringentos acuto morbo laborantes ſeptimo die perfectè judicatos vidiſſe*) cauſa inde peti poſſit: Quod autem *Diſputatione mea de Influentiis Anno 1642. habita*, in aſpectum ſextilem devenerim, inde factum eſt, quòd dicerent Medici bonæ criſeos ſigna die ſeptimum antecedente

appa-

apparere. Cum verò nullus aſpectus alium proximo ſtatim die ſequatur, quæritur, ſi ſtimulos ſuos natura die ſexto detriverit, quos habeat poſtea die ſeptimo? Cum itaque excretio in ſe negotium ſit quotidianum, quotidiano etiam ſtimulo contenta eſſe poterit, ut ſcilicet humores per ſeptendium à natura ſibi deſtinatum cocti excernantur horâ aliqua critica & quidem ut in me ipſo expertus ſum, plerumque tali quæ ſigna cardinalia cùm in ſe, cùm quoad ſitum eadē cum hora natalitia habeat. Quæſtiones quæ ex ſententia hac decidi poſſunt, petere licet ex *Theſ. 33. Diſputationis* noſtræ de hac materia *tertiæ*. Hoc addo de die quarto, quòd in illo mutationes criticæ non multò infrequentiores ſint ac die ſeptimo, plerumque tamen vel infelices vel imperfectæ, cauſam videri quòd cum quacunque ferè aſpectus Lunæ cum alio planeta ſpecie morbus initium ſumat, quarto aut circa eum alius ſuperveniat, poſt conjunctionem ſextilis, poſt ſextilem quadratus, poſt quadratum Trigonus vel iterum ſextilis (ſaltem in appulſu). Aliarum verò ἀταξιῶν in criſibus plerumque cauſam habere ſaltem ex parte conſtellationes alias, præter ordinem incidentes, quæ ſine dubio in morbis periculoſis non ſine fructu attenderentur.

21. Atque hæc mea eſt ſententia: Quæ verò *de* præſtantia & *ſingulari efficacia numeri ſeptenarii*, aut *figurâ ſedecim laterum Ptolomæi* aut *menſe Medico Galeni* dici videantur poſſe, fruſtrà dici exiſtimo. Ad numeros quod attinet, ſanè iis Empirici & ſimiles de Paracelſi ſchola Medici non parum videntur tribuere, juxta illud Virgilii ſcilicet in pharmaceutria (in dem Truden-Lied) *numero Deus impare gaudet*. Sed quorum Ars Medica ex genuinis Philoſophiæ fundamentis extructa eſt, ii nôrunt, quantitatum nullam eſſe efficaciam. Confer *Celſ. l. 3. c. 4.* Et ſi ſeptimo efficacia eſt ex imparitate (ſive in ſpeciali ſeptenarii, ſive in generali) unde vis quarto? Dicant fortaſſè, quia tres integri cum dimidio quarto medietatem

 conſti-

cõnſtituant ſeptenarii, vel ſeptem dimidios. Sed hac ratione quantitas continua cum diſcreta commiſcetur, adeoque cauſis contrariis vel ſaltem diſparatis idem ſpecie effectus tribuitur, & facili negocio ex pari die imparem & ex impari tali commento parem faceres. Diviſio verò zodiaci in partes ſedecim, quæ Ptolomæo placuit, ſi efficaciam habet, turbat efficaciam aſpectuum, quorum nullus huic diviſioni commenſurabilis eſt, excepto ſolo quadrato, qui tamen, ut ſupra diximus, rarò die ſeptimô, ſed plerumque octavo demum, in planetis ad morbos acutos ſpectantibus attingitur.

22. Menſis Medicus Galeni ſpeculatio eſt ſine fundamento. Putat ille pro menſe Medico tot dies à Synodico decurtãdos, quot Luna ſub radiis Solis ne conſpicatur, conſumat. Sed ſi quod res ſit dicendum, nonnulla præſupponit, quæ ab obſervatione & Aſtronomica & Aſtrologica abhorrent, v.g. (*lib. 1. de dieb. decret. c. 4.*) *Lunam plerumque triduo, in coitu Solis morantem, planè inviſibilem eſſe & tunc terrena hæc immutare non poſſe.* Ad primum quod attinet, docent Aſtronomi, fieri poſſe (pro ratione ſitus in zodiaco & majore vel minore Lunæ ab Apogæo circuli ſui, ut & ab Eccliptica diſtantia) ut eodem die Luna & vetus & nova appareat, quamvis & quarto demum die ipſam apparere contingere queat. Unde ſatis patet, ſi maximè eſſet aliqua menſis Aſtronomici, ut in Medicum mutaretur ex hoc principio decurtatio, nec perpetuam tamen, nec perpetuæ Quantitatis eſſe poſſe. Alterum, quod dicit, eo intervallo, quô ſub Solis radiis lateat, terram immutare non poſſe, ut eſt contra naturam Aſpectuum, ita experientiæ contradicit in Epilepticis & ſimilibus, qui illo malo vel maximè ipſo Novilunii die & penè momento infeſtantur. Quemadmodum & Euripos ſub Noviluniis vehementiores eſſe ajunt, quàm reliquis diebus. Diſtinguendum ſcilicet inter duplicem Lunæ in hæc inferiora operationem, quarum una in motu & quaſi fermentatione, altera in augmento humorum conſiſtit, Motus

fit

fit ſub Aſpectibus & vel maximè ſub conjunctione, etiamſi non conſpiciatur, humor verò creſcit & decrecit in dies cum lumine, etiam extra aſpectus. Eſto præterea; præſcindendos eſſe à Menſe Lunari eos dies, quibus propter vicinitatem Solis non appareat, quid fiet ſi morbus non circa coitum, imò ſub nullo aſpectu cum Sole, (licet cum Planetarum aliquo) initium ſumat? Nulla ergò mutationum criticarum ratio ex menſe hoc Galeni reddi poteſt. Quæ autem idem Galenus *eod. l. 3. c. 5.* de efficacia Aſpectuum ab Ægyptiis ſibi comperta dicit non prorſus contemnenda, ſed vel ideò notanda puto, quòd quamvis ab opinione multorum, qui Galenum aliâs ſequuntur, aliena; veriſſima tamen & noſtris conſentanea ſint.

23. Ad mortis præſagium ex Aſtris quod attinet, innuimus ſanè *Diſp. tertia Theſ. 34.* non prorſus id eſſe de nihilo, incertum tamen propter firmitatem naturæ diverſam in diverſis ſubjectis. Ne tamen inanes dimittam principia Aſtrologica etiam hac in parte cognoſcere cupientes & quia diligentiam majorem in curatione, notitia talium excitare poteſt, ponam huc ex Origano *regulas*, quæ ſæpius præ reliquis hunc ſcopum ferire deprehenſæ ſunt, & ita habent:

1. *Directio* (inquit Origanus) *Horoſcopi ad conjunctionem, quadraturam, vel oppoſitionem Saturni vel Martis formidabilis eſt de Morte, niſi Fortunæ* (Jupiter & Venus) *ſextili aut Trigono radio locum Directionis aſpexerint, aut corporali præſentia adfuerint.* Ego quavis bona conſtellatione in annum à directionibus malum incidente multa mala leniri poſſe nullus dubito.

2. *Directio Solis vel Lunæ ad eoſdem planetas malos vel Aſpectus, morbos itidem graviſſimos minatur.* Mihi etiam mortis exempla nota ſunt. Vide ſi placet *Nucleum Aſtrologiæ correctæ* à me editum *cap. 13.*

24. Inter Regulas de Revolutionibus hoc in genere ſunt ſequentes.

1. Cùm

1. *Cùm cauda Draconis* (hoc eſt, nodus Lunæ deſcendens) *infortunio Dominum aſcendentis* (Dominum Nativitatis. vide Diſp. tertiam Theſ. 19.) *affecerit* (v.g. conjuncta cum eo fuerit) *& in revolutione Lunæ ceciderit cum illa, & ipſam aſpexerit Dominus mortis* (ſobriâ phraſi loquendo planeta mala præ aliis in Nativitate ſignificatione in ſignis) *& fuerit in loco infortunæ à nativitate, illo anno natus morietur 3. Aphor. 5. Cardani.* Etſi verà mihi tot limitationes de præmunitione ad excuſationes & re incerta ſuſpectæ ſunt: non contemſerim tamen prorſus præſagium ſaltem de morbo difficili, ſi etiam unicum aut alterum ſaltem dictorum quadret. Et in genere, novitas & ſingularitas conſtellationum, etiam ex parte in ſeſe non malarum, ſub revolutionibus, ſaltem hoc nomine non injuria ſuſpecta eſſe debere videtur, quod innuere videatur novam naturæ periodum & quaſi regimen, non minus in hiſce naturalibus, quàm in politicis, de periculo variarum mutationum ſuſpectam.

2. *Cum in revolutione illius, cui unicus vitæ ſignificator debilitatus eſt, boni planetæ combuſti fuerint in alio loco quàm in Aſcendente & infortunæ* (mali planetæ) *ſolem aſpexerint ſupra terram exiſtentes, ac aſcendens ad Lunam, & luna ſub terra fuerit, (abſque mala directione ullâ) procul dubio eo anno ille morietur. ex Cardano 6. Aph. 1.* quæ de combuſtione dicit, non magni facio. vid. *Diſp. 1. Theſ. 64.* ſi autem in radios violentos die Natali planetæ incidant periculi à morbis gravibus quandoque lethalibus immunem natum non pronunciaverim.

3. *In omni revolutione in qua planetæ diſponuntur modo ſtatui genituræ contrario, periculum ingens ſignificatur.* Inter periculoſa hæc mortem etiam eſſe collegi ex primarii cujuſdam viri exemplo, cui in revolutione illius anni, quo mortuus eſt. 1. Nodi Lunæ revoluti (hoc ſanè non contrarium ſed idem, in re autem mala, Eclipſibus ſcilicet nodos comitantibus contrariis quoad effectus ſimile) & quidem die mortis ferè partiliter. 2. Saturnus tendebat ad locum Jovis Natalitium. 3. Jupiter partiliter

tiliter ferè in loco natalitio. 5. Mercurius à loco ſuo natalitio retrogradus. 6. Die decubitus Luna in loco nodorum.

25. Habet & hanc regulam, ubi de revolutionibus agit, Origanus (quamvis ad tranſitus propriè ſpectet, ideò tamen ſine dubio ad revolutiones relatam, quia in erectione Thematum revolutionis, tranſitus ſimul obſervantur, ſuper hos autem ſeparatim figuræ erigi non ſolent, nec commodè ferè poſſunt) *mortem portendi ſi Eclipſis ſit in Angulo Radicis, in ipſomet gradu.* Addo ego etiam ex Kepplero *in loco Solis* (adeoque in Natali) *& Lunæ*, multiſque exemplis partim mihi notis, partim ab aliis notatis confirmatum affirmo. De Eclipſibus repeti, ſi placet, poteſt *Theſ. 68. Diſp. 1.* Hoc addo: Effectum earum tendere in homine præcipuè ad humorem & morbum hominis, cujus ſidera natalitia feriat, ſubjectum ei planetæ ad quem vel cujus radios luna tunc tendat, qui ſi bonus eſt aut ſaltem non violentus, non quidem propterea Eclipſis bona eſt, ut judicant interdum de vulgo Aſtrologi. Minus tamen nocet. Cum enim, ſi malus planeta Eclipſi præſit & movens, (planeta) & humor (planetæ ſubjectus) una cum Eclipſi ipſa malus ſit, hîc ſola Eclipſis mala eſt. Et ex tali Eclipſeon numero videntur eæ, de quibus Cardanus fatetur, quòd non nocuerint. fortaſſè & hoc, quod nuper vir quidam primarius mihi commemoravit: Mulierem quondam ſub Eclipſi natam ad 70. uſque annum perveniſſe.

5. Malum Planetam ſtationarium prope ipſum gradum ſigni alicujus Aphetici periculoſiſſimum eſſe valetudini, meo ipſius exemplo edoctus ſum, nec deſtituor exemplis eorum, apud quos ipſa mors talem ſtationem vel ſaltem tardiorem tranſitum brevi ſecuta eſt. Reliqua videri poſſunt apud ipſum Origanum, item apud Andream Argolum Medicum juxta & Aſtrologum Patavii celeberrimum, *in Tractatu de diebus criticis & decubitu ægrorum*, ubi potiſſimum directionum hac in parte negotium ſexaginta exemplis à ſeipſo obſervatis de-

clarat. Granum ſalis interdum aſſumendum (cùm in multis ſequatur Aſtrologiam vulgarem) patella Diſputationis noſtræ primæ exhibebit, & exhibere poterit deinceps, lectionem eandem dignari volentibus. Atque hæc ſuppeditantur ab Aſtris etiam ſine intuitu conſtitutionis ægri. Ubi uti certum eſt temperamenta, diætam, præſervationes & ſimilia, multa poſſe mutare, ita nos manifeſtum putamus; Aſtra à ſignis Medicorum tùm diagnoſticis, tùm prognoſticis nequaquam excludenda, imò tertio capiti de fontibus ſignorum, hoc eſt, cauſis ſaltem externis accenſenda eſſe. Ad illa itaque pergemus & quidem ita, ut itentidem ad ſidera, quid illa etiam in media Materiæ contemplatione monere poſſint, reſpiciamus.

26. Primum caput, quod habet hîc D. Sennertus *de ſignis corporis ſaluberrimi, ægri & neutri*, quod attinet, affirmare ego non dubito, conſtellationes fortes bonorum planetarum ſidera Natalitia ejus quem ſub manibus habet Medicus, quoquo modo (ſive per tranſitum, ſive per Revolutionem) Tangentium, corpus ſanum aut ad ſanitatem tendens, malorum verò, ſi non ægrum certè ad ægritudinem tendens & à ſanitate deflectens indicare. In ſpecie autem hoc obſervavi, quòd mali Planetæ, Saturnus potiſſimumùm, ſignum aliquod Apheticum tranſiens (cùm tranſitus ejus valdè diuturni ſint, præſertim ſi ſtationem penes ipſum gradum Apheticum figat) inſidias moliatur, ſi non omnibus, ſaltem uni aut alteri membro, quorum præſides planetæ cum ipſo per aſpectum congrediantur. Si quæras cur non omnibus? reſpondeo, quia unum præ alio vel à Nativitate fortius, vel diæta & vitæ genere, à tali ſymptomate remotius. Item ſi aſpectus aliquis cujuſcunque Planetæ, ſive boni ſive mali, in Natali fuerit, is quoties repetatur, toties in actum deducat, quod in Nativitate minatus eſt. Docet capite ſecundo dicti loci D. Sennertus, *quomodo corporis calidi & frigidi, ſicci & humidi ſigna ex tactu, figura, colore & ſimilibus corporis conſtitutionibus, item ex moribus & actionibus colligantur,*

ligantur, idem ego æque ferè certè colligi, adeoque judicium ex ipſis non leviter confirmari dico poſſe ex planetis hujus vel alterius humoris aut qualitatis authoribus, vel cum Luna in Nativitate copulatis, aut quoquô modo fortiorem influendi conditionem nactis & poſteà, præſertim concurrente Tranſitu, aut ſimili conſtellatione naturam alterante tali modo repetitis. In ſpecie, ſummatim tamen, ſiccitatem mali duo planetæ & Luna valdè decreſcens (tùm Nativitatis, tùm conceptionis tempore, frequenter enim hæc duo in hoc genere diverſa ſunt & tunc magis temperatam naturam efficiunt, quàm ſi utrumq; in Lunam vel creſcentem vel decreſcentem incidiſſet) humiditatem boni planetæ & Luna creſcens, calorem Sol & Jupiter, Mars item, incommodum tamen plerumque, frigiditatem Saturnus & Mercurius & cum temperatura Venus excitare ſolet. Ubi ſemper ſubintellige, ſeminari talia in conceptione & Nativitate & evidentiſſimè, ſi cum Luna, occultè ad tempus ſed juxta fortiſſimè, ſi inter ſe tales Planetæ copulati ſint, ut ſaltem ſint in potẽtia, in actum verò exire, ſi tales conſtellationes poſteà in vitæ curſu repetantur. Confer *D. Sennert. Inſtit. lib. 3. part. 1. Sect. 2. cap. 2.*

27. In ſpecie *cerebri temperaturam* oſtendit Mercurius & Luna. Mercurium tardum aut retrogradum ingenioſos (quamvis contra ſtatuere videam vulgus Aſtrologorum ſed mihi hoc principium immotum manet, planetas, quantò ſint tardiores, tantò fortius influentias ſuas imprimere) in publicis tamen negotiis minus expeditos & in expeditionibus, ſeu, ut loquuntur, reſolutione, niſi in iis, quæ probè callent, aut in quibus alios planetas adjutores habent, minus celeres & promptos judico. Qui verò nimis velocem, aut à Sole longè diſtantem habent Mercurium, vertiginoſi ſunt & in expeditionibus celeres magis, quàm ſatis prudentes & felices. Idem fortiter copulatus cum Saturno vel Marte niſi alii boni aſpectus ſive ipſius ſive aliorum planetarum coincidant, facit ſtupidos &

ſymptomatibus ab illo frigidioribus, hoc calidioribus cerebrum obnoxium, ſi autem aſpectus ſint leniores, fermentata quaſi ingenia, ſagacia, nec tamen adeò mala, præſertim ſi accedant bonorum radii. Hi enim cum ipſo apprimè faciunt ingenia artibus, præſertim talibus, quæ ad Elegantiam potius, quàm ἀγχίνοιαν & controverſiarum ſubtilium deciſionem ſpectant, cerebrum præterea ſanum, nec malis ſymptomatibus facilè obvium efficiunt. Luna in phaſibus præſertim vehementioribus, conjunctione, oppoſitione aut Quadratura, cerebrum multis & gravibus ſymptomatibus ſubjicit. Idem facit, ſi cum aliis planetis multas & fortes configurationes celebret, partim in membro Lunari præcipuo, hoc eſt, cerebro, partim in iis membris, quæ ſubjiciuntur iis planetis, cum quibus fortiter configurata fuit.

28. Cordis temperatura optima eſt iis, quibus Sol, Epatis & ventriculi, quibus Jupiter, partes generationi deſtinatæ, item oculi & quævis partes teneriores & ſenſus exquiſitioris, quibus Venus, pulmo, quibus Mercurius in primo ortu, aut in revolutione malis planetis non fuerint obnoxii, cum bonis contra copulati per aſpectus, præſertim leniores, Trigonum aut Sextilem. Etſi enim non aſſentior Aſtrologis, oppoſitiones & quadraturas malas etiam in bonis pronunciantibus, ex accidenti tamen & propter imbecillitatem Naturæ, ſaltem ex materia oriundam contingere poteſt, ut etiam id, quod in ſe ad bonum tendit, ſi tamen fortius agat, minus commodum accidat. Lieni Mediocris conſtellatio Saturni cum Jove commoda videtur, cum utriuſque planetæ influentiam deſideret. Fortior tamen, obſtructiones & ſimilia in hoc membro mala Saturnina minatur.

29. De Urina nihil jam incidit, quod ex ſideribus afferam. Pulſus ut in paroxyſmis Febrilibus, ita ſine dubio ſub omnibus horis criticis, etiam extra paroxyſmos, inſigniter vel vehementior videtur vel remiſſior. Hæc enim fermentationi

ſanguinis

ſanguinis menſuram videntur præſcribere, quod non intempeſtivè moneri puto, cùm facere videatur ad præcavendum judicii ex pulſibus præcipitium.

30. De ſignis morbi vel imminentis, vel præſentis, quæ tangit D. Sennertus *l. 3. part. 2. c. 1. Inſtit. & ſeqq.* utiliter monetur ex Aſtrologia inter ſigna morbi imminentis Tranſitus & aſpectus morbificos ſuperiorum vel nondum partiles, vel à Luna nondum in tanta propinquitate tactos, præſentis verò Aſpectus Lunæ & horas criticas, ſæpè commemoratas, numerari debere. Ut ſcilicet inter Bilis flavæ ſigna habeatur fortis influentia Martis, atræ & pituitæ Saturni, ſanguinis, Jovis. Quod verò de diebus, quibus moveantur humores ſinguli loco citato dicitur, id niſi accipiatur de morbis, qui jam in habitum devenerunt, v. g. terțiana & quartana, in dubium vocari, vel certè inſigniter turbari & variari (præſertim circa initia & fines) videtur ex aſpectibus. Ut videlicet ſtatuamus, ſymptoma vel morbum hodiè ex aſpectu Lunæ & Saturni, recurrere aut immutari ſolere, quando Luna eundem planetam iterum per aſpectum tangit. Atque hæc de parte Medicinæ, phyſiologicâ pathologicâ & ſemioticâ. Accedimus ad Diæteticam.

31. Hîc quia Medici præmittere ſolent quædam Axiomata generalia, nos eorum, D. Sennerti nominatim in Inſtitutionibus ductum, ſequentes, eadem præmittemus, & quomodo vel ipſa ad ſiderum doctrinam, vel hęc ad illa in re Medica applicari videantur poſſe, oſtendemus. Eſt itaque in hoc genere *Axioma.* 1. *Natura nihil agit temere.* (vel abundans) Docuit Hippocrates, idque rectè ortus fixarum obſervandos; quod arripientes nonnulli Aſtrologiæ non ſatis æqui, planetarum, theoriam, quoniam Hippocrates mentionem illorum non fecit (minus enim hæc pars Aſtronomiæ culta tunc fuit apud Græcos illius ſympatriotas) contemnendam putant ſtupidè argumentantes; ſtellæ fixæ à Medico ſunt obſervandæ, planetæ non ſunt ſtellæ fixæ, Ergò, non ſunt obſervandi.

At verò cùm & hi & horum Aſpectus aliæque affectiones non modò efficaces, ſed & efficaciæ multò evidentioris ſint, non decet tanti viri diligentiam in iis quæ ſaltem qualitercunque comperta habuit, in ſimilibus multò clarius hodiè cognitis, imitatione & æmulatione indignam habere. Contrà, cùm conſtet ſidera per ſe ſatis determinare effectus ſublunarium ab iis dependentes; quæ verò de nudorum ſignorum effectibus blaterantur, nullo planè fundamento niti, imò in multis phyſicæ apertè contradicere, meritò illa negliguntur. *Axioma. 2. Omne nimium Naturæ inimicum.* Tales inimicitias vel excitant vel fovent, qui ſub vehementibus ſiderum influentiis vehementes commotiones humorum in corpore humano per purgationes, phlebotomias & ſimilia (citra neceſſitatem de quâ nobis non eſt ſermo) excitant, & ita illas influentias quæ interdum, ſi ſcilicet ſidera ægri natalitia non tangant, ſine illius incommodo decurriſſent, operatione medica illis ſimili ad conſortium vocant, efficiuntque ut talis operatio intentione vehementior fiat.

Axioma. 3. Natura non facit ſubitas Mutationes. Peccant hîc tùm ipſi Aſtrologi, tùm Aſtrologorum Adverſarii. Illi quidem, quod Electiones & alia ad ipſam Aſpectuum partilitatem aſtringant. Hi verò dum hoc contrà illos putant palmarium quod nec ad ſingula momenta conſtellationes determinare, nec effectus illarum per exempla oſtendere videantur poſſe. Cum ſcire utriq; debeant, & ſi velint poſſint, ut motus ipſe tùm cœleſtis tùm terreſtris non ſine ſucceſſione ſit, ita effectum quamvis interdum momentaneo influxu in actum deduci incipiat, ſucceſſione tamen ſaltem donec ſenſui manifeſtus fiat, opus habere.

Axioma. 4. *Natura eſt morborum Medicatrix.* Qui quid Natura ſit compertum habent, ii nôrunt non tantùm cauſas ſublunares, multo minùs eas tantùm, quæ in ægro ſunt, naturæ nomine venire. Sed omnes ſublunarium & vel maximè

valetu-

valetudinis viciſſitudines, ut Ariſtoteles docet, & experientia quotidiè confirmat, ab Aſtris gubernari. Cum verò teſte Celſo *l. 3. c. 1. naturâ repugnante, nihil Medicina proficiat*, ſæpè autem in Aſtris eam repugnare certum ſit; profectò neceſſe eſt turbari hunc Naturæ & cauſarum Naturalium ordinem ab iis, qui nullâ ratione habitâ conſtellationum ſive ad eundem ſcopum quem ipſi habent propoſitum, ſive ad diverſum vel etiam contrarium tendant, medicamenta propinant & applicant, cum tamen ſcire debeant, quemadmodum non omnia medicamenta paroxyſmi aut criſeos tempore conveniunt, ita nec omnium conſtellationum tempore convenire.

5. *Conſuetudo eſt altera natura, & conſueta longo tempore etſi deteriora ſint inſuetis minus moleſta eſſe ſolent. 2. Aphoriſm. 20.* Hujus Axiomatis vim, etiam in conſtellationibus manifeſtam docet hoc exemplum, quòd qui aſueti ſint ſcarificantionibus ſub luna decreſcente, catarrhos & ſimilia ſymptomata adducant ſi eas ſuſcipiant ſub luna creſcente. De ſimilibus autem idem eſt judicium.

22. Ad ſpecialiores Regulas de tuenda ſanitate propius ut accedamus, Reſpiciendum ajunt, Medici ad res, quæ quaſi Materia ſint ſanitatis. Et *res non Naturales* (hoc eſt, ut ego intelligo non de Natura & eſſentia ipſius hominis, licet hominem ejuſve naturam adjuvent) nimirum ſequentes; *Aër, cibus & potus, animi affectus, motus atque exercitium corporis, quies ſomnus ac vigiliæ, Venus, balnea, excreta & retenta.* His ſidera etiam annumeranda dicimus, nec audiendos qui ea vel planè negligenda vel ſub aëre comprehenſa & ſi quid habeant mutationis, in aëre id ſatis deprehendi dicunt, adeoque ſatis eſſe ſi is & ejus conſtitutio obſervetur. Ne enim dicamus, multo eſſe ſubtiliorem ſiderum, præſertim in magno variarum conſtellationum concurſu operationem, quam ut quæ ſingularum vis ſit, in aëre, ſolo ſenſu deprehendi poſſit. Revocentur ſaltem in memoriam ea quæ in prioribus Diſputationibus

dicta

dicta ſunt de conſtellationibus hujus vel illius ſideri Natalitio familiaribus, quæ ſæpè talem hominem alterant, alteratione tali quæ in aëre non deprehenditur, ut ſunt non tantùm affectiones hujus vel illius membri, ſed etiam primæ qualitates. Ita fieri poteſt, ut Medio etiam hyeme, tranſitus Martis per hujus aphetica ſigna tardior, licet ad cauſas frigidas tunc dominantes ſenſibilem proportionem non habeat, calorem in ipſo præter Naturalem in ipſo excitet. Et Eclipſes, tametſi toti Naturæ videantur incommodæ, morbos tamen & mortem quandoque ipſam nemini facilè afferant, niſi ei cujus ſidus aliquod Apheticum feriant. Huc pertinet quæſtio: An agens agere poſſit in diſtans illudque alterare, medio, eâdem alteratione non affecto? Nos affirmamus, & talis actionis exempla dicimus tot quot ſidera ſint in cœlo. Sed unico contenti erimus, de luna quæ oſtreis, cancris, & ſimilibus humores auget & minuit, & ægros in intimis cubiculis alterat, aëre ſimilibus qualitatibus non affecto. Sed redimus ad ea, quæ Medici tradunt.

33. De aëre (non rejectis, ſed ſuo loco relictis atq; probatis, iis quæ Medici hîc docent) ex Aſtrologicis hoc monere non nocuerit; Non ſemper expedire, ut multi (præſertim in Venæ ſectionibus) putant illius claritatem. Duo enim ſunt ſidera aërem clarum reddentia, Jupiter & Mars. Ille in ſe & ratione operationum propriarum (de remotis enim non obliti ſumus quæ *Diſput. 2. Theſ. 17. & Diſp. 3. Theſ. 29.* diximus) bonus. Hic etiam immediatè membris & humoribus corporis ſaltem nonnullis incommodus. Hujus ergò influentia cum ex ſolo aëre deprehendi non ſemper poſſit; Itaque ad conſideranda ſidera ſtudioſos Medicinæ qui hortatur ad partem non exiguam officii ipſos hortatur.

34. De cibo & potu hoc monere non nocuerit, utrumque moderatum eſſe debere ſub conſtellationibus incommodis ſidera potiſſimum Natalitia Aphetica ferientibus. Saturnus enim cruditatum & obſtructionum, Mars pro inflamma-

tionum

tionum & ſemuſtulationum materiâ cibo immoderato uti poteſt. Vini uſus largior ſub ſaturno, commodus, ſi tamen & vinum & corpus bibentis defæcatum ſit & purum, cum no-tum ſit quos fructus pariat Melancholia uſta, quæ uſtio ex vino ſequi poteſt. ſub Marte autem uſus vini largior caloris nomine periculoſus eſt, præſertim, ſi hîc quoq; corpus non ſatis purum ſit. ſub Lunæ etiam incremento incommodiores esſe cænas ſeu cibo ſeu potu ſeu utroq; largiores, facile quivis colliget ex Ax. 2. ſupra adducto. Aut enim concoquit natura aut non concoquit. Si non concoquit cruditates variis morbis materiam ſuppeditantes, ſi cōcoquit, nimis obeſos facit, & iterū morbis præſertim â putredine oriundis feneſtra aperitur.

35. Animi affectus objectis quidem maxime gubernantur, vehementiores tamen hi quoq; ſunt ſub conſtellationibus fortioribus illorum planetarum qui hunc vel illum affectum fovere ſolent.

36. *A*d vigilias proniores efficere aſcenſum ſignorum natalitiorum eorum, quæ vel Horoſcopum vel Medium cœli in Nativitate obtinuerunt, ad ſomnum ſub deſcenſu, deprehendet qui paulò hic fuerit attentior. Hinc opiata & ἀνώδυνα (præter conſuetudinem aliorum Medicamentorum, minori cum fructu in priori, quamvis ibi maximè videantur deſiderari quàm in poſteriori caſu adhibentur. Balnea ſub influentia fortiori Martis caveri velim, cum febrium ſub balneis origines, præſertim apud infantes non ſint novæ. Excretiones, eæ præſertim quæ per ſudorem fiunt, largiores itidem ſunt, & excitantur facilius ſub iis horis in quibus ſigna *A*phetica cardinibus appropinquant. Non autem quando actu iam attigerunt. Hoc enim qui ſtatueret in cenſuram regulæ tertiæ initiò poſitæ incideret.

37. De cibi & potus tempore ſufficiunt nobis quæ ſuprâ *A*xiomate 5. dicta ſunt. Ut ſcilicet conſuetum tempus ſervetur. Etſi enim varietatis aliquid afferre videantur horæ criticæ, ut vel facilius vel difficilius concoquantur

 ſumti

ſumti eo tempore quo aſcendunt ſigna quæ tempore nativitatis aſcenderunt. Quia tamen illæ variantur ut in eandem quotidie horam non incidant ſed ſubinde anticipent; non erit operæ precium diætam propterea apud ſanos turbare. Sed conſuetum & operibus officii ſemel accommodatum tempus optimum putari debet. De venere etiam, ne ſcurris potius ludos feciſſe quam veritati atq; valetudini litaſſe videamur, contenti ſumus dicto Fernelii *l. 1. Pathol. c. 1. Si agricolæ ſementem facturi purum & fœtum ſemen ſeligunt, experti frugem malam è marcido percipi; quanto diligentius id in procreandis liberis obſervandum.* Niſi fortè ſemini humano nihil ex aſtris accedere poteſt commodi vel incommodi, quæ tamen ab Agricolis tàm diligenter obſervanda, communi conſenſu rei ruſticæ ſcriptorum diſcimus. Sane quando fieri debeat tale quid, ad Venerem pertinens, ex aſtris præſcribere plura iis quæ innuimus Diſp. 3. Theſi ultima, ridiculum eſt. Quando verò fieri non debeat & quando impetus ille reprimendus, ex aſtris docentem qui irridet, is Deum, qui idem (quamvis non ex Aſtris circa rem tamen ex *A*ſtris ſingulariter dependentem) fecit, ridet. *A*d riſum autem facilius compeſcendum, inſpiciat exempla matronarum mihi non ignotarum, quibus vel in partu vel in puerperio mortuis, ſignum inveniri aliud non potuit quàm conceptio eo anno facta quo nodi Lunæ adeoq; Eclipſes in ſignis earum fuerunt *A*pheticis. Idem de aliis planetis malis, eorumq; tranſitibus tardioribus, aliisq; ſignis valetudinis ab aſtris afflictæ, de quibus poſteriori parte diſputationis antecedentis dictum, idem etiam de phaſibus Lunæ habendum eſt. Non quòd ut vulgus *A*ſtrologorum putat, incurratur eâ ratione in Dei interdictum *Lev. 20. v. 18.* (confer *Theſ. ult. Diſp. 2.*) ſed quod hac ratione fœtus ſubjiciatur frequentiæ revolutionum lunarium, & conſequenter vehementium cerebri ſymptomatum. Quæ ſi quos non invadunt ſub phaſi aliquâ, plenilunio aut quadraturâ (de noviunio adhuc ἐπέχω)

natos

natos, ut potius firmioris ſint naturæ quàm extrà phaſin nati, iis non tàm naturæ ex aliis cauſis firmitas quàm hoc videtur profuiſſe, quod licet eorum Nativitas in phaſes illas fortuitò quaſi inciderit, concepti tamen tali tempore non ſint. Ita ego novi quendam firmæ Naturæ qui Sole in Tauro Luna in geminis conſtituta conceptus, Sole poſteà in aquario, Luna in Leone (adeoq́; plenâ) exiſtente in lucem editus eſt. Ut ita non ſequatur, ſub phaſi natos etiam ſub phaſi conceptos eſſe, licet contrà ſub phaſi Lunæ conceptos nō facilè alio quam phaſeos tempore naſci, partim ex *Theſ. 15. Diſp. 3.* partim ex eo quod Lunæ aſpectus ad Solem vel potiſſimi, vel potiſſimis proximi ſint, colligi poſſit. Affinis conceptioni ſub phaſibus eſt propinqua nimis Lunæ ad Mercurium à Sole nunquam ultra ſigni intervallum diſcedentem conſtellatio, potiſſimum conjunctio. Non ideò tantùm quod tali caſu in phaſin, non ſemper quidem fortaſſè partiliter, nimis propè tamen incidat, ſed & quod Mercurius humoribus fæcunditatis authoribus non ſatis amicus ſit, &, ſi in partu poſteà contingat ut Luna Mercurium antè embryonis ex utero egreſſum contingens ab ipſo defluat; rationis uſum perturbet: undè licet non ſemper phrenesis vel delirium ſequatur (niſi nimirum humoris etiam melancholici fortia ſigna, quæ à Saturno præcipuè ſunt, adſint) ἑτερόκλιτα tamen & perturbati judicii ingenia efficiantur.

38. Hæc de cura valetudinis ſideribus contemperanda in genere dicta ſunto. In ſpecie occurrit primò cura fætus nondum editi, & diæta prægnantium. Hîc, ſi recordemur quod *Diſp. 3.* diximus; conſtellationes natalitias reſpondere conſtellationibus conceptionis, facile colligemus, quod tempora abortus & ſimilium caſuum, niſi ſingularis diætæ & ſimilium negociorum ἀταξία peculiare quid præſtet, eidem reſpondeant. Cavebunt ergo mulieres in talium metu verſantes, iis maximè temporibus quibus Luna in ſigno conceptionis aut etiam illi oppoſito, ſive fœtus ſive ipſarum proprio verſatur, aut

ad eoſdem planetas eorumvé radios accedit ad quos in conce-ptione fætus ipſorum acceſſit. Præſertim ſi vel hi ipſi plane-tæ mali ſint, vel mali radios ſuos admiſceant. Sed quomodo cavebunt? non modo ut â cibo, potu, motibus aut exercitiis cor-poris talibus ex quibus abortus, luxatio & ſimilia fætus incom-moda ſequi ſoleant tunc abſtineant: ſed etiam ut ego exiſtimo ne purgationes aut venæ ſectiones (quamvis in ſeſe proficuas) confortantia contra & ſimilia quæ fætui & gravidæ ſalutaria ſunt, ſi iis opus videbitur talibus temporibus aut brevi ante ſu-ſcipiant & adhibeant. Solet hîc moveri *quæſtio; quo menſe ge-ſtationis venæ ſectiones utiliter ſuſcipiantur?* mihi ut placet reſpõ-ſio eorum qui dicunt diverſam rationem temperamentorum apud mulieres attendendam; ita non ſine experientiæ ductu dico, apud eas in quibus cauſa venæ ſectionis maximè urget, hoc eſt apud ſanguineas & fætui ipſorum, venæ ſectionem quanto ſit maturior tanto ſalubriorem (ut ne â proximo qui-dem menſe hîc abhorream ſiquidem luna creſcat) quanto ve-rò tardior, tanto (fætui potiſſimum) periculoſiorem, Imo quo-cunq; temperamento prædita ſit mulier, tanto tutior videtur venæ ſectio quanto min9 nutrimenti fætus indiget adeòq; pro-ximis â conceptione menſibus. Perſuadent ſane ſibi mulieres quædam, partum venæ ſectione paulo ante tempus ipſius ſuſce-ptâ facilitari. Sed quid fit interim de fætu? certe ſi hoc ſolũ hic quæreretur, abortus omni partui, etiam commodiſſimo præ-ferendus eſſet.

39. De Diæta juxta ætates inſtituenda proprium exem-plum incidit, qui ſenex jam, omnium fere præteritorum tem-porum quibus morbi paulo graivores me invaſerunt memor, cum illa nunc cum contemplatione conſtellationũ quæ tunc inciderunt repeto, nullum invenio in quo non valetudinis tunc adverſæ rationem ex Aſtris reddi poſſe exiſtimem; licet tunc tanquam Aſtrorum imperitus ignoraverim. An verò propterea author eſſe debeam omnibus ut tempora ſua natali-

tia

tia quotidie cum Ephemeridibus conferant, an verò exemplum potius tunc-meum ſequendum ſuadeam, neſcio. Niſi quòd exiſtimem ſi vel ego vel parentes talia tunc prævidiſſent quibusdam fortaſſe morbis carere me potuiſſe. E contrario dubius etiam nonnihil annon fortaſſe etiam hîc locum habeat Celſi illud: *Sanus homo qui & benè valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legib, debet, ac neq; medico neq; alipta* (fortaſſe nec Aſtrologo) *egere*. Quicquid autē ſit de illis prioribus, ubi etiam corruptio vulgaris Aſtrologiæ multa apud nos & alios excuſare potuit: ab Annis hiſce viginti quibus hoc ſaxum volvo & conſtellationes cum conſtellationibus meis & aliorum Natalitiis confero, tantum videor mihi percipere fructum, ut niſi id facerem, valde dubitem, ut vitam ad hunc usq; diem produxiſſem, adeoq; valetudinariis ſeu iis qui corpore vel ægro vel, ut Medici loquuntur, neutro præditi, potiſſimum verò qui ad certos morbos, podagram, calculum phthiſin Epilepſiam &c. proni ſint, autor eſſe ſalva conſcientia non poſſim ut prius illud potius quàm poſterius hoc exemplum meum ſequantur. Imò feriò ita ſentio, multo plures ad ſenectutem perventuros ſi ſanior Aſtrologiæ ſcientia in uſu Medico & potiſſimum Diætetico eſſet pervulgatior.

40. Sunt autem neutri Medicis ita dicti duplices, vel Decidentiæ vel Convaleſcentiæ. Neutris decidentiæ author fuerim ut vel ipſi vel ſi opes eorum ferant, Medici ab illis conducti ſidera Natalitia juxta ductum eorum quæ de ſemiotjca dicta ſunt, frequenter conſiderent, & imminentes tranſitus tardiores malorum pro præſervatione, bonorum pro conſervatione membrorum imbecillium & reſtitutione humorum errantium, Aſpectus etiam natalitiis ſimiles quando reverſuri ſint, potiſſimum verò Lunam quando ea ſigna Aphetica tangat aut cum iisdem planetis cum quibus in Nativitate copulata fuit, copuletur, intuerentur. Et quia certum eſt, deprehenſuros ſuo tempore humores corporis ſui ad motuum horum A-

ſtralium regulam motus concipere, itaq; malle debent in tempore malis occurrere quàm tempore quod non putârant, in illa incidere. Ut autem non reſpuo, ſed magni, uti debeo, facio ſummorum Medicorum Celſi *l. 1. c. 3. & l. 2. c. 1. 2. & ſeqq.* Hippocratis *ſect. 3. Aphoriſmorum* & alibi, ad tempora Anni & ſimilia directa, præcepta; ita non dubito multò illa omnia perfectiora pronunciare ſi ſiderum Natalitiorum inſpectio conjungatur. Illa enim generalia ſunt, ad nullum magis ſpectantia quàm ad alium, hæc ad certos homines ſpectant. Et Aſtra quemadmodum in tota natura faciunt tempora, ut Hippocrates loquitur; non eſſe tempora. & hiemis ſpeciem æſtati nō raro obducunt, ita eum cujus ſidera Natalia tangunt, interdum ne in media quidem hieme ab æſtivis, nec media æſtate ab hiemalibus vel autumnalibus morbis tutum eſſe patiuntur. Oritur interdum conſtellatio aliqua calida hiemis & frigida æſtatis tempore, minor tamen propter concurrentes alias fortiores ut Naturæ tempeſtatem ſenſibiliter immutet; te tamen & tuâ naturâ cui propter ſidera Natalitia vel familiaris vel inſigniter contraria eſt minor non eſt, quin facile prævalere & morbum afferre poſſit. Expedit ergo eam contemplari & circa eam quæ antea de ſignis dicta ſunt, ſibi etiam dicta exiſtimare.

41. In Neutrorum convaleſcentiæ Diæta quemadmodum ſuadent Medici, ut *ſi quid ab imperfecta criſi ſit reliquum, id ſenſim per ἀνάληψιν tollatur, & partes principes roborentur ne recidivam patiantur.* Ita ego ex Aſtrologia moneo, ſidera quæ morbū aliquem induxerunt, intuenda, annon redeant, & morbum vel eundem vel ſimilem inducant. Dicant fortaſſe Aſtrorum non ſatis periti; in diem eſſe quod hîc minitemur, cum inter reditum Saturni ad idem ſignum integri triginta Anni, in Marte ſaltem biennium intercidat. Minimè verò; ſed ut plerunq; Magni morbi planetas in ſigno Aphetico retrogrados authores habent, ita recidiva facile ab illis, antequam ſcilicet è talibus ſignis exeant, pro-venire poteſt. Exemplum hoc Anno

Satur-

Saturnus in medio Cœli & è regione Lunæ Retrogradus, mihi in me ipſo largius quàm volueram ſuppediavit. Altera cauſa, & quidem adhuc frequentior interſidera quæ Recidivas inducere poteſt, eſt Luna, quæ non tantum Menſis ſpacio ad eundem planetam cum quo fortaſſe morbum aliquem excitavit, revertitur, ſed & intra illud tempus adeoq; intervallo adhuc breviori cum eodem planeta aliquoties, quamvis alia aſpectus ſpecie copulata, favillas morbi in cineribus latentes reſuſcitare poteſt. Hæc cum deprehendi nullo certiore ſigno quam Aſtrorum poſſint, interim verò notum ſit, quàm gravis convaleſcere incipientium hoſtis ſit recidiva, profectò ignavum eſſe neceſſe eſt qui contemplationi ſiderum operam aliquam impendere recuſaverit. Hactenus de Medicina Diætetica.

42. In *Therapeutica* Medicina ipſa *Medicamenti definitio*, officii ſui & Medicos & *A*ſtrologos admonet. Medicamentum, inquit Galenus, eſt *omne id quod corpus noſtrum alterare poteſt & à ſtatu præternaturali ad Naturalem reducere*. Subſumo ego; *A*tqui hoc poſſunt ſidera: Ergò ſunt Medicamenta Quid mihi, inquit ἄναςρ@ cum his Medicamentis? Sat multas pixides habet pharmacopæus. quid ſidera, vel contra has vel etiam cum his poſſint? Imò plurimum, & quidem in vito, ſi volens ea recuſes adſciſcere. Quicquid enim tu agas quicquid propines, quicquid uſurpes, ſidera radios ſuos conjungent, adjutura ſi ſuæ influentiæ conſentanea, turbatura & impeditura ſi contraria ſint. Nolens ergo volens in conſortium medicamentorum tuorum admittere ea cogeris.

43. Habet autem tractatio Medicamentorum, ſaltem quorundam, quatuor quaſi gradus. 1. Plantationem quo pertinet etiam ſeminatio & ſimiles quæ ad principia prima plantarum & ſimilium rerum Medicinalium pertinent. 2. Collectionem. 3. Præparationem. 4. Uſurpationem. Ad plantationem & ſeminationem quod attinet, ſi ea ſit propter flores tantùm, ſuſcipiatur brevi poſt novi lunium, ſi propter fructus etiam

am ex ſemine, poſt quadraturam primam. Si propter radices, intra pleniſunium & quadraturam ſecundam. Eſt & hoc hortenſis rei peritis etiam vulgo deprehenſum, plantulas quas flore pleno luxuriare volumus, voto noſtro reſponſuras ſi ante plenilunium (quidam dicunt momento plenilunii ſed operationes Phyſicæ non ſunt momentaneæ; mihi ſex horæ ante plenilunium ex voto reſponderunt) plantentur.

44. Sed placet aliud experimentum adducere: Narratum mihi eſt â fide digno; Virum quendam Noribergæ primarium rei hortenſis poſtmultos Annos peritiſſimum, omnia ſua ſemina terræ mandaſſe, occupato â Luna Leone vel Virgine. Reſpexi primo cum hæc audirem ad ſtellas fixas illorum ſignorum (de ſignorum nudorum efficacia vel potius vanitate dudum ſecurus) ſed cum altius ponderavi, nihil aliud ſub iſtis præceptis vel exemplo quod lateret dephendi, quàm id ipſum quod Theſi antecedente dictum eſt. Seminationes plantarum floreſcentium (in quibus ille præcipuè occupatus erat) pleræq; ſuſcipiuntur, vel Martio quando in Ariete, vel Aprili quando in Tauro vel etiam Majo, ubi in Geminis Sol eſt, conſtitutus. Si Arietem Sol obtinet, Luna in Leone vel Virgine conſtituta verſabitur intra quadraturam primam & plenilunium, ſi in Tauro Sol erit, Luna in Virgine itidem quadraturam primam egreſſa erit, in Leone vero ipſam quadraturam vel obtinebit vel vix egreſſa erit. In Majo, ſole obtinente Geminos, Virgo ipſam quadraturam conſtituit, Leo ſextilem, adeoque intra Novilunium & Quadraturam primam. Quod tempus etſi floribus ſit accommodatius quàm fructibus & ſeminibus; in Exoticis tamen quæ pleraq; Majo demum Menſe ſeminantur, non videtur valde attendendum, cum ſemina illorum â peregrinis illis locis tantum ferè expectentur. Cancri ſignum quod non attendatur, imo in arboribus incommodum exiſtimetur, in cauſa puto, quod illud Dodecatemorion obſideatur hodiè â ſideribus tempeſtuoſis, Geminorum ſcilicet adeoq;

adeoque nec plantis, nec fructibus fortaſſe ſatis commodis. planetarum verò illorum, cui plantæ ſeminandæ, vel transplantandæ natura cognata eſt, aſpectus lunares cum felici ſucceſſu obſervari, & rationi, & ut mihi Excellentiſſimus Botanicus noſter, cujus honoris cauſa & Studioſis Medicinæ in exemplum mentionem facio, confirmavit, experientiæ, conſentaneum eſt.

44. Transformationes florum, ratione tùm formæ, tùm colorum, juxta ſigna & ſtellas quaſdam fixas, vanas, non raro ſibi invicem contradictorias, & aſtrictas ad conditiones ineptas, non modò inexpertas, ſed & expertu impoſſibiles, pluribus demonſtrarem, niſi parvi viderer facere beneficium primarii cujuſdam, & in authoritate magna conſtituti Viri, qui mihi ſubmiſsè roganti, Italum quendam de his ſcriptorem communicavit. Unicum tantum & alterum ſit inſtar omnium, v. g. quod ſtationarios planetas florem ſtabilem, retrogrados inſtabilem reddere dicit: quæ ut dixi, vana puto, cùm quòd ſtatio, ne apparens quidem ultra biduum duret, (adeoque tranſeat, antequam ſemen in terram projectum, germinare incipiat) vera autem in cœlo nulla prorſus ſit. Item, quòd ſignificatores aſtringat ad ſtellas vel minutiſſimas, vix viſu præ reliquis agnoſcibiles, vel magnas quidem, ſed à Zodiaco ultra 40. aut 50. gradus remotas, imò (ut ſunt Auſtrales noviter à Luſitanis & Belgis inventæ) noſtrum Horizontem nunquam aſcendentes, quomodo ergò quid apud nos minutæ illæ præ magnis, remotæ præ propinquis, inconſpicuæ præ conſpicuis poſſint, ſine impudentia affirmabimus? Non eſt, ſcilicet, animal audacius & contra manifeſtam experientiam protervius, quàm Aſtrologus regularum ſuarum fiduciâ elatus & rationum phyſicarum, quibus ſingula horum exanimari debebant, ignarus. Sed ſatis de ſeminatione & plantatione.

45. De collectione plantarum ſatis copioſè & fundamentaliter *D. Schröderus in pharmacopœa Medico Chymica, l. 1. c. 23. 24. 25.*

24.25. Ubi etiam conditiones fortitudinis planetarum commemorat, in quibus nihil magis mihi probatur, quàm quòd addit, non opus eſſe, ut planeta, ſub quo tale quid ſuſcipiatur omnes illas dignitates habeat, quas ipſe recenſet. Nos, cum plurimas vanas eſſe, quæ autem ex rationibus phyſicis pro veris habendæ, Diſputatione partim prima, partim tertia didicerimus, quid hîc conveniat, quemlibet qui noſtra hactenus legerit facilè perſpecturum confidimus. Allegat idem Dn. Schröderus etiam *Carrichterum*, de quo, ne ejus authoritas, quod Inviĉtiſſimi Cæſaris Maximiliani Medicus fuerit, Studioſos decipiat, hoc notare volui, non eſſe omnia illius authoris propria, multo minus propriâ ipſius experientiâ deprehenſa, ſed magna ex parte ex meris ſpeculationibus ab Aſtrologia vulgari, ſive ipſius ſive aliorum orta, idque deprehendiſſe me hoc inter alia documento, quòd quædam adſtringat ad Calendarium Gregorianum, cujus tamen nulla adhuc cum ipſe viveret, mentio fuerat. Summa: Si unquam, quod tamen nunquam feci, Authoritates Magnorum Virorum majoris feciſſem, quàm illorum rationes, in Aſtrologia tamen perverſum illum Philoſophiæ tractandæ morem & modum rejicerem, quippe, qui ut nullam ſciam artem, ubi Authoritatis ſpecies plus damni dederit, quàm in illa; ita nullum genus eruditorum, ſi tamen verè eruditi tales exiſtimandi, quod æquè invitum rationes audiat, hoc eſt, non tàm ſuo cerebro ſapere cupiat, quàm authorum, & quidem non rarò talium, quibus vana de iis perſuaſio potius, quàm ſolida ſcientia authorum nomen peperit.

46. Sed quia, ut dixi, facilè quilibet cui naris obeſa non eſt ex hactenus dictis, quid hîc ſit ſequendum, odorabitur placet unicam *quæſtionem* tangere, quam Paracelſus & ex illo D. Schröderus etiam tangit. *Sitne tempus Novilunii ita præ omnibus commodum, ut meritò à Paracelſo Balſamicum vocetur?* Affirmativæ favere videatur, quod humoribus excrementitiis abſumtis, ſolæ genuinæ illius planetæ qualitates, reſtare videantur.

tur. Nos, ſi in paucis fortè ita ſit, de quo experientia altius conſideranda, in pleriſque certè falſum hoc exiſtimamus, & tùm rationem influentiæ Lunæ, tùm naturam plantarum plerarumque contrarium ſuadere putamus. Ad Lunam quod attinet, latere primo videtur falſa Hypotheſis, quaſi ea humores de coelo effundat potius, quàm ex potentia inferiorum educat: (vide *Diſp. 1. th. 23. circa finem.*) Deinde ſine ratione ea inſimulatur, quod excrementitios tantum, aut aqueos humores in cremento luminis ſui augeat, à reliquis planetis, cum quibus radios commiſceat, profectos non item. Minimè verò, ſed cum per Menſis decurſum omnium aſpectuum ſpecie cum omnibus planetis fruatur, tot erunt humorum ab ipſa profectorum qualitates, quot planetarum ipſi in aſpectibus ipſis cooperantium. Ad plantas quod attinet, meritò illæ colliguntur tali tempore, quo ſunt maximè vegetæ, & maximæ virtutis: Habere autem maximam virtutem tempore incrementi Lunę, non decrementi; multò minus omnimodi ſilentii, ex iis colligitur, quæ de ſeminatione & plantatione dicta ſunt. Quod verò Paracelſus objicit 1. de pomis, quæ tempore decreſcentis Lunæ decerpta, diutius durent, quàm creſcentis, 2. de lignis, quæ Luna creſcente cæſa, plus humoris contineant, & cariei ac putredini in ædificiis magis obvia, quam decreſcente, 3. de luto fictilibus vaſis aptiore, tempore priori, quàm poſteriori; id nihil ad rem facit. Non enim quæritur, quid diutius duret, ſed quid præſtantius ſit, aliàs lapis omnibus & plantis & temperamentum Melancholicum omnibus rebus, & vel maximè ſanguineo, quod meritò pro optimo habetur, præferendum erit, quippe quod putredini maxime, illud autem minimè obnoxium. Poma ſi ſunt asſervanda & à putredine diu præſervanda, non tantùm Luna decreſcente, ſed etiam antequam ad ſummum maturitatis gradum pervenerint, & jam miteſcere incipiant, decerpi volunt. non quòd in ſe meliora, ſed quòd putredini minus propinqua. Idem de lignis ad ædificia

 &

& de luto ad vaſa adhibendo, habendum. Quid enim firmitũdo vaſorum fictilium, quod ſcilicet ex luto ſicciori facta ſint, commercii habet cum Virtutibus Medicamentalibus, quæ collectione plantarum quæritur ? Sed quid de plantis humore ex Natura ſua abundantibus ? Ne hîc quidem facilè aſſentiar. Si enim planta humida deſideratur, utique propter virtutes, quas propias habet, deſideratur: virtus autem illa majori ex parte humor eſt, aut per humorem exſeritur. Sed quid ſi humor ſit excrementitius? cujus reſpectu? num plantæ? Ergò illi alienus eſt, nec magis cùm luna creſcit quàm is, qui illi eſt proprius. num ægri reſpectu? ergò prorſus inutilis. Ut rem in pauca conferam, ſi datur & quæritur tempus Balſamicum, quo planta aliqua humore gaudeat proprio, nihil autem vel parum participare debet de lunari, (quamvis, ut dictum, non detur lunaris, quod à luna profundatur, ſed quod per eam, è potentia inferiorum educatur) non aſpernatus quidem fuerim Lunam decreſcentem, ſed illi planetæ, cui plantæ natura præ aliis familiaris fuerit conjunctam; (vel certè alio aſpectu fortiori, conjunctio tamen ſine dubio & optima & fortiſſima) copulata. Quamvis etiam iſtud non ſit ſatis exploratum; An luna creſcens non aliorum etiam Planetarum, cum quibus ſit copulata, virtutes plus moveat, & plus de iis in terram deferat, quàm decreſcens. Flores certè, qui, ut pleniores fiant, paulò ante plenilunium, transferuntur, cancri item & oſtrea, non tantùm aquoſiora, ſed toto corpore & ómnibus qualitatibus cum luna creſcente, magis vegeta fiunt. Summa: Stante hac regulà, quæ ſanè ſtat firmiſſimè, plantam, ſive folia, ſive fructus, ſive radices ejus quærantur eo tempore pro Medicamentis commodiſſimè colligi, quo maximè vegetetur, excepto tempore, quo in proxima ad germinationem potentiâ ſit. Vegetari autem maxime (Cæteris paribus quæ non excludo) ſub forti conſtellatione ejus planetæ, cui ſua natura familiaris, profectò nullum tempus hoc melius & præſtantius reperiri poterit.

47. Ad

47. Ad præparationem quod attinet, fateor nonnihil dubii mihi aliquando ſubortum, an multum, præſertim ad ea quæ igne fortiori opus habent, ſidera faciant, donec ex pharmacopæis, imò pictoribus etiam & tinctoribus cognovi, eſſe quædam, quæ etiam per ignem, præparata, multò puriora fiant, cœlo ſereno quàm nubilo. Hoc aër inquis facit, non ſidera. ſed quid eſt id, quod aërem alterat niſi ſidera? Ego à me obſervatum affirmo, ſub ipſa hora, parum abeſt, quin dicam, momento, quo Jupiter Horizontem aſcenderit, aut Luna à Saturno ad Jovem vel Martem defluxerit aërem puriorem factum, &, aliquando in Jove per aliquot dies non ſine admiratione deprehendiſſe, tantisper duraſſe illam ſerenitatem, dum Jupiter ad culmen cæli pervenisset. Quàm primùm verò Meridianum ſuperaſſet, aëris craſſitudinem priorem ſucceſſiſſe. In aërem ergò cum ſidera ſint ita efficacia & quidem in tàm brevi tempore, minus ne putas futuros in Medicamentum, quod præparas? Et pluſne putas poſſe aërem, quàm ſidus contra ignem tuum & in Medicamenta tua? Eaſdem ergò conſtellationes ſi obſervent pharmacopæi in præparatione Medicamenti, ex hac vel illa planta, hujus vel illius virtutis, quæ obſervari debuit in reliquis operationibus, circa talia phyſicis, rectius facere, & certius ad ſcopum ſuum perventuros, quàm ſi negligant, nullum eſt dubium.

48. Ad ſpecies præparationum propius ut accederem, inquiſi ivi apud Chymicos, nominatim Geberum, præſertim quod viderem, in fundamentis facere cum Ariſtotele, nec ſimilem eſſe iis, qui non putant, perſuaderi homini poſſe aliquid ſe, quod Ariſtoteles aliqua ex parte neſciverit, didiciſſe, niſi omnia illius principia (quamvis ſint naturæ conſentanea) abjurârint, apud hunc inquam, inquiſivi, quæ ſint potiores ſpecies operationum Chymicarum, & vidi quod commemorentur ab eo ſequentes: *Fixio, coagulatio, ſublimatio, deſcenſio, deſtillatio, calcinatio, ſolutio, ceratio.* Definitiones videantur apud

ipſum. Ego iis inſpectis Rationi conſentaneum puto, ſi vel tantùm vel præcipuè hæ qualitates ad quas hæ operationes, tùm ſidera ex iis, quæ *Diſp. 1. theſ. 18.* dicta ſunt, tendant inſpiciatur, ad Fixionem & coagulationem facere Saturnum, vel (quod pro reliquis qualitatibus ſalutaribus tutius) Lunam novilunio proximam, ſublimationem, deſcenſionem, deſtillationem, ſolutionem, cerationem ſub Jovis vel Veneris, calcinationem ſi ſub Martis, aut (quod iterum tutius) Solis propè meridiem verſantis & in decremento Lunæ ſuſcipiatur.

49. Præcepta, quæ alii ſimplicem hanc veritatem aſpernati de colligendis, preparandis, aut etiam (ut una litura omnes hujus generis ineptias deleam) uſurpandis Medicamentis tradunt, non moramur. Aut enim ſideribus & ſimilibus cauſis naturalibus accenſentur ea, quæ nec ſidera ſunt, nec à ſideribus efficaciam habent. Talia ſunt quę ad certos dies Calendarii, ut Mariæ, Johannis, Jacobi aſtringuntur. At ſi eſſent à ſideribus non amplius hodie valerent, quia ſidera illa, quæ hodie nobis illis diebus affulgent (ſive ſint Sol, ſive fixa aliqua) plus viginti gradibus hodie abſunt, ab illo loco cœli, quem olim habuerunt, videant ergo qui talia obſervant, quem ducem obſervent, & quem in opere adjutorem ſibi promittere queant. Talia ſunt etiam, quæ ad ſigna aſtringuntur. repetatur *Diſp.* noſtra *prima, theſ. 39.* Aut enim hæc quoque à ſideribus non efficiuntur, aut longè alio die efficiuntur. Sperant quidem nonnulli vali tura talia ſi juxta Sphæram octavam ut loquuntur, ſuſcipiantur, hoc eſt, ad fixas quæ talia loca olim poſſederunt aſtringantur. Sed fruſtra ſunt, cùm notum ſit, non notiores talium inventoribus fixas fuiſſe, quàm nobis, adeoque non ad illarum, ſed ad rerum, à quibus denominatæ ſunt, naturas reſpexiſſe, vide *Diſp. 1. theſ. 37. 38. 39.* Aut ſideribus effectus tribuuntur, qui non modò à ſideribus, ſed ab omnibus cauſis naturalibus, fruſtrà expectātur, cujuſmodi ſunt efformationes (ſive per ſcripturam, ſive per ſculpturam, ſive per fuſionem) certarum

imagi-

imaginum, figurarum, literarum, verborum, quibus poſtea ſecum geſtatis, &c. efficacia tribuitur. At verò talia, ſi efficaciam naturalem haberent, ſemper haberent, licet fortè alio tempore nonnihil diverſam, cum natura agat μοναχῶς. Hæc autem ſi eſſent, væ pictoribus, ſculptoribus, ſcriptoribus & omnibus, qui figuras Mathematicas delineant, vel ſculpunt, aut ſaltem literas ſcribunt, quippe quibus ab omni hujus generis opere ſuo metuendum foret. Sed ſidera ſcil. tali modo conſtituta influentiis ſuis talem vim illis infundunt, quam extra talia tempora non habent. Hoc probetur. Movent quidem illa & interdum fortiora efficiunt, ſublunaria, eorumque qualitates, ſive actu, ſive potentia illis inſitas, non autem novas de ſeipſis largiuntur. Confer *Diſp.1. theſ.23. in fine.* Dicimus ergò, characteres illos vim nullam habere, nec effectum, quem habere videantur ab illis proficiſci, ſed eſſe à cauſis nobis ignotis, meritò autem ſuſpectis, quia notum eſt, ſimilia à Magis & Satana proficiſci. Sed ſi illi poſſunt, multò magis DEUS poteſt, inquit Paracelſus, in ſuis *Archidoxis*, quod nemo negat. Sed quæſtio eſt, an velit per talia media, per quæ Satanas operari ſolet? impius & extremè ſceleratus, qui DEO hoc adſcribit. Si quis verò quærat, an ego effectum, quem ſideribus hactenus adſcripſerim certò promittam? Reſpondeo, diſtinguendum inter operationem & operationis effectum. Suſcipienti, v. g. digeſtionem ſub Joviali influentia, Jovem cooperantem promitto: effectum autem ne certò promittam, dubitatio facit, primò de cooperante. ſive cœleſti, ſi aliæ conſtellationes concurrant, ſive ſub lunari, an hoc, officio ſuo per omnia ſatis faciat, deinde de conditione ſubjecti, ſitne illud talis operationis ſuſceptivum, & quidem ita facilè, ut tuâ operatio ſufficiat. Illi contra effectum interdum oſtendunt, An verò & quomodò ex illa cauſa, quam allegant, ſecutus ſit, ſæpè ne probabiliter quidem oſtendere poſſunt. Satis de præparatione.

50. In-

50. In uſurpatione Medicamentorum ad Aſtra eorumque influentias contemperandorum, conſiderandæ primo Medicamentorum ſpecies, & quidem juxta earum facultates, ubi occurrunt primò *Alterantia*. Hîc cum partim ex Diſputatione prima, partim ex *Definitione Medicamenti*, apud Galenum: *quòd ſit omne id, quod corpora noſtra alterandi vim habet*, (adeoq; Medicos nolentes volentes Aſtrorum influentiam pro ingredientibus ſuorum Medicamentorum habere cogi) conſtet; danda erit opera Medico, ut Medicamenta ſua Aſtrorum influentiæ contemperet, nec niſi correctionis cauſâ fiat, calefacientia, ſub frigidis, frigefacientia ſub calidis Aſtrorum influentiis propinet. Sed quæ indicationes morbi requirunt tali tempore applicent, quod ſcopo illorum reſpondeat, ſiquidem memores eſſe velimus ejus, quod ſuprà dictum eſt: *Medicum eſſe Miniſtrum Naturæ*. Sed quid ſi, ut plerumque fit, (plerumque enim ſub incommodis conſtellationibus morbi ingruunt) aliorſum tendant Aſtra aliorſum medicamentum morbo idoneum? Hîc vulgus Aſtrologorum Medicationem intermittere jubet. Hinc in Calendariis dies rejectitii, die verworffene Tag. Imò dantur conſtellationes, ubi ad triduum ante & pòſt omnes Medicationes prohibent. Medicorum contra plurimi, præſertim cùm videant, tales leges ſemper obſervari non poſſe, nude eas abjiciendas, & indicationes purè ſine omnium ſiderum obſervatione ſequendas, putant. Sed neutrum convenit, *& medium tenuere beati*. Primò: Intervallum totius tridui nimis longum eſt. Quippe intra quod multæ mutationes, tùm cœleſtes, tùm terreſtres, quæ diverſum ſuadeant, accidere poſſunt. 2. Diſtinguendum eſt, inter incommodarum illarum conſtellationum appulſum & defluxum. Appulſus ad planetam incommodum meritò ſi fieri poteſt vitatur. Sed quamdiu? Ego diem artificialem ſufficere putem. Nec curationem propterea diutius differendam, ſi luna malum planetam ad quem accedit, integro die non contingat. Poſt defluxum

fluxum autem (modo certò de eo conſtet) ne horam quidem ſi aliàs commodum videbitur, expectandum judico. 3. Medicatio dividi poteſt, ut ſub appulſu Lunæ ad Aſpectum incommodum, vel portio tantum aliqua purgantis (de hâc enim Medicamenti ſpecie præcipuè loquimur) exhibeatur, vel digeſtivum præmittatur. 4. Fortaſſè & Medicamentum ita poterit temperari, ut conſtellationis illius ſiniſtræ ratio aliqua habeatur. Quod ſanè iis, qui in tanto Aſtrorum contemtu, quid valeant Aſtra non ſatis intelligunt, ſuadere fortaſſe facilius eſt, quàm perſuadere, & quid præciſè faciendum ſit, docere, iis tamen qui rationes reddere queunt, cur unicum interdum Medicamentum, tot ſimpliciora ingrediantur, intellectu non difficile. 5. Imò ſi dantur Medicamenta, idipſum ſpectantia, ut ſub adortum paroxyſmi ſumantur; Non erit dubium, quin haberi poſſint, quæ in conflictum ſiniſtrorum aſpectuum admitti, cum commodo ægri poſſint. 6. Si nihil horum locum habeat, & indicationes moram non ferant, non repugnem magnopere Medico, præſertim cum quid ſidera vel etiam Medicamenta quædam valeant, nondum ita clarum ſit, ut certò ſemper liceat prædicere quid ſit eventurum, harum ratione unicè habitâ in medicando pergere. Ut autem experientia docebit, & ægri & Medici expectationem in talibus ſæpè eludi, ita unicè hoc proteſtor, ne (quicunque ſequatur eventus) quæ cauſâ neceſſitatis legem non admittentis conceduntur, ea in contemtum legum rapiantur. & quæ aliquando (ex cauſa plerumque occulta) ſucceſſerunt, ea ſemper etiam ſuſque deque habitis ſideribus, ſucceſſura eſſe, nobis & aliis perſuadeamus.

51. Propius ad hoc negocium ut accedamus, quæritur, *an ſub influentiâ malorum Planetarum Saturni & Martis, purgatio eorum humorum, quos fovere ſolent, tutò ſuſcipiatur?* Suſcipi ſuadere videri poſſit hoc argumentum, quod operatio Medicamenti tali caſu Naturæ videatur ἀνάλογος, utraque

ſcilicet, vitioſum humorem movens, adeoq; ad exeundum ſtimulans. Et hoc argumentum validum ſine dubio videbitur iis, qui ſine diſcrimine felicem putent purgationem, quæ alvum ſæpè ſtimulet & multùm excrementorum ejiciat. Sed ut id prudentioribus Medicorum non placet, ita attendendum puterem ad verum ſcopum, tùm ſideris, tùm Medicamenti, qui ſanè utriuſque eſt movere, ſed finis motionis diverſus; ſideris nimirum, ut augeatur, medicamenti ut amoveatur; illius, ut reliqui humores adhuc ſani ad vitioſi humoris naturam alterentur, hujus ut exturbetur. Sed quid ſi etiam ea, in quibus emendationis ſpes eſt ſimul exturbetur? quid ſi ęgri vires duplici motu concuſſæ, nimium dejiciantur? Ego ſi purgantia uſurpanda mihi fuerunt, libenter ea ſumſi, ſub defluxu Lunæ â Planeta, qui vitioſum humorem fovet, ad eum, qui illi eſt contrarius. v. g. à Marte ad Venerem in cholera, Saturno ad Jovem, aut itidem Venerem in Melancholia aut pituita. Etſi enim Venus frigida putetur, non nimium tamen, ſed moderatum eſt frigus illud, & altera illius qualitas reſiſtit ei, quod in utroque eſt peſſimum, lentori ſcilicet, qui ut & ſiccitas per ipſam diluitur. Conſentit mecum *Ambroſ. Scala*, Medicus & Mathematicus, *Introductione ſua in Ephemerides*, ſed duabus limitationibus adjectis, quas fateor, me non valdè probare. prima eſt ex ſignis petita, ut ſcilicet illa etiam frigida, v. gr. & humida ſint in expurgatione Choleræ, altera, ne Venus ſit, ut cum aliis Aſtrologis loquitur combuſta. Sed prior limitatio vana, ut *ex Diſp. noſtra 1. theſ. 36.* liquet, altera, non neceſſaria. Ne enim dicam, ſidera in ſeſe, nec comburi, nec ullomodo alterari, certè, Si Luna in Venerem incidit Soli nimis propinquam, etiam in ipſum Solem incidit, adeoque phaſin mutat, quâ de re mox dicetur.

52. Nec eſt de nihilo, quod quæritur, *ſub creſcente ne, an decreſcente Luna evacuationes rectius inſtituantur?* De pituita nullum eſt dubium, rectius eam ſub decremento, quàm ſub incremento

mento educi, nec valde dubium de bile flava. De atra verò cum ſiccitate potiſſimùm & lentore peccet & difficulter mobilis ſit, dubitari poſſit. Id certum eſt, ſub incremento Lunæ, omnes purgationes faciliores & cum minore ægri commotione conjunctas eſſe. Quæritur autem, an & tuta ſatis & conſtans ſit purgatio? Cùm facile fieri poſſit ut aliquid de tali humore fermẽti relictum, quantumvis ſiccitatem includat, de novo augeatur, cum, ut ſupra etiam dictum, omnis generis humores Luna augere ſoleat. *D. Eichſt. in appendice ſuorum Calendariorum*, ante annos aliquot conſcriptorum, quamvis negaſſet, verum & univerſale eſſe, omnes humores Lunâ decreſcente rectius quâm creſcente purgari: Tandem tamen inclinat eò, ut ſtatuat, humores lentos Lunâ decreſcente quidem, ſed propè plenilunium rectè purgari. Et hoc crediderim, tutiſſimum. ita enim & purgatio æquè facile ac ſub incremento, perficitur & recrudeſcentiæ metus præſcinditur. *Dogmata de ſignis* ruminantibus circa vomitiva, de humidis circa potiones, de ſiccis circa pilulas & quæ ſunt ſimiles nugæ, eligendis, tædet ruminare, tanquam ſemel diſputatione prima, cum de ſignis ageremus rejecta. De clyſteribus hoc deprehendi, feliciter illos applicari ſub defluxu Lunæ à Saturno. Ideoque fortaſſè conſultum, ut quoniam ſub appulſu aſpectus Saturnini obſtructiones invaleſcunt, applicatio clyſteriis tanquam parum profecturi vel omittatur, vel poſteà ſub defluxu repetatur.

53. *De phaſibus Lunæ* ut promiſſa exequar, diſtinguendum inter diverſos Medicamenti ſcopos, augmentum ne an decrementum Lunæ deſiderent. Phaſes ipſæ in ſe nihil agunt aliud, niſi ut vehementer humores moveant, ad incrementum ſub appulſu ad Quadraturam primam & Plenilunium, ad decrementum ſub appulſu ad quadratutam poſteriorem & defluxu à plenilunio, ad utrumque ſub Novilunio, quamvis effectus propter defectum Materiæ minus ſit evidens.

 Ego

Ego ut ad veritatem tanquam multis utilem futuram, (qui ſcopus unicus eſt laborum meorum, quibus, ubi proximo nihil amplius prodeſſe potero ſatis me vixiſſe putabo) eò altiùs penetrarem, periculum feci in meipſo, ſumto purgante, admodum leni, ut Medicus ajebat, ſubqua dratura lunæ (ſed à radiis malorum planetarum liberæ) effectu præter ſpem Medici, cujus honoris cauſa mentionem facio, fortiſſimo. Sed cum nullâ ſenſibili virium immimutione conjuncto. Dicebat inſuper Medicus, alium ante me, eodem effectu idem in novilunio feciſſe. Unde colligo phaſes Lunæ niſi vehementia aut radiis aliorum conjunctis noceant, non nocere.

54. Notandum & hoc putavi, (quamvis Aſtrologiæ vulgari idem affirmanti, ante experientiam tùm aliorum, qui mihi id retulerunt, tùm propriam non crediderim,) medicamenta purgantia, parum aut nihil purgare, *ſub conjunctione Jovis*, fermentationem ſine dubio pro puritate ſua impedientis. Nihil tamen incommodi apud me ex impedita purgatione ſecutum, moleſtiis etiam, propter quas purgationem ſuſceperam, non amplius in corpore deprehenſis, ut ſuſpicer Jovem leniter alteraſſe humores vitioſos qui expurgandi erant. Sub aliis autem Jovis aſpectibus eadem lenitas non deprehenditur.

55. Ad reliquos effectus ut accedamus, *emollientia, laxantia, rareſacientia, aperientia, attenuantia, detergentia*, (leniter ſcilicet) rectè putamus uſurpari ſub fortiori conſtellatione Jovis & Veneris, ſive ad illius aſpectus Luna accedat, ſive, cum illud haberi ſemper non poſſit, ſub alia illius fortitudine, aſcenſione, culminatione, præſertim cum ſigno Aphetico. Contrà verò indurantia, condenſantia, obſtruentia, aſtringentia, incraſſantia, dubium non eſt, quin fortiorem effectum habitura ſint ſub Saturno, quemadmodum & σαρκωτικὰ κολλητικά, & ἐπουλωτικά. Cautione tamen, ut ego exiſtimo & diſcrimine habito inter aſpectus illius violentiores & leniores,

aut

aut (in violentioribus, inter πλάτος & ἀκρίβειαν, ſeu ut loquuntur, partilitatem. Ἀνώδυνα ὑπνωτικὰ & ναρκωτικὰ plus proficiunt, ſub ſignorum Apheticorum, quæ in Nativitate Horoſcopum vel Medium cœli obtinuerunt deſcenſu vel à meridiano vel infra Horizontem. Ad quod tempus utile fortaſſè erit talia differre, ne dolor irritetur potius, quàm ſedetur & æger interim fruſtra delaſſetur, aut ſi minore cum effectu conjuncta ante fuerit, repetere cum moleſtia aut etiam periculo (opiata enim, ut magna doſi, ita ſine dubio nimis ſæpè exhiberi non eſt conſultum) cogatur.

56. *Ad ſudorem movendum* comparata commodiſſimè ſuſcipiuntur brevi ante horam Apheticam. ſi contra fiat, plurimùm virtutis amittunt, nec facilè illas, antequam nova hora aphetica ſuccedat, exerunt. Sed quid de ægro interim? cujus impatientia difficulter feret ut tàm diu in lecto aut ſimili loco calido detineatur, ſudorem expectet, fortaſſè nec proximè ſeqnenti horâ Criticâ ſecuturum. Medicamenti interim viribus per facultatem, concoctricem detritis & variè mutatis. Ego per Naturam ad ſudandum ſatis diſpoſitus, cum aliquando minus, quàm volueram, ſudaſſem, ſudoriferum, paulò poſt parcum illum ſudorem adhibitum, nè quidem proxima hora aphetica efficax potui deprehendere.

57. *De cientibus Menſes* meritò ſtatuitur cum optimo effectu exhiberi, tempore purgationis illius apud mulieres conſueto. Sed quodnam eſt tempus conſuetum apud eas, quæ purgationem conſuetam diu non paſſæ, aut cum ἀταξία paſſæ, tempus conſuetum, oblivioni tradiderunt. Aſtrologi ad phaſes Lunæ hîc ſpectant, manifeſto indicio, quòd nihil minus quàm experientiam, quam tamen unice crepant, reſpiciant. Id potius tempus Aſtronomicum illius purgationis, anteà diximus, quo Luna ingreditur ſignum Apheticum, maximè id quòd obtinuit in Nativitate, aut conceptione, quod, ut ex diſputatione tertia colligitur, plerumque occupat in Nativitate cardinem

eum qui Lunam in ſignorum ordine proximè antecedit. Libet hic movere quæſtionem: *An ſi Menſes parciùs juſto fluxerint, medicamentum illos movere ſolitum, rectiùs ſtatim poſt parcum illum fluxum, ad prolicendam majorem copiam adhibeatur, an verò differatur, donec Luna ad aliud ſignum cardinale perveniat?* priùs probarem, ſi illud remedium eſſet venæ ſectio, aut metuenda ſuffocatio vel ſimile ſubitum ſymptoma. Extra hos caſus, & ubi affectus curandus moram patitur, quòd conſultum putem, medicamentum ad novum Lunæ tranſitum per ſignum Apheticum differri, vel ſaltem eo repeti, hæc mea eſt ratio, quòd vis ſiderea motus ejuſmodi in corpore ciens effectum, quem in appulſu habuit, in defluxu amittat; ut ita initium fluxus illius ſit à Luna, continuatio verò ab ipſo humore & conditione corporis fœminei, unde qui κινητικὸν φάρμακον motu naturæ deficiente adhibet, naturam adjutricem, nec in corpore fœmineo, nec in cœlo amplius habiturus eſt. Invitâ autem naturâ conatus Medicos eſſe fruſtraneos, ex Regulis de Diæta traditis conſtat.

58. *Fœtum*, parturientis & ſine ſufficienti effectu, in partu laborantis, *propellentia*, adhibituro, autor fuerim, ut ſciſcitetur priùs horam, quâ partus dolores gravidam initio adorti ſint, vel ſi initium non ſatis exactè ſciatur, poſteà graviùs præ reliquis temporibus crucient, ad illam erigat Thema, oſtenſurum quatuor ſigna nati vel naſcituri Aphetica, quibus cardinem occupantibus naturam in reſerando clauſtro oſſium auxiliares manus parturienti porrigere *Diſp. 3.* audivimus. Unde facilè patet, remedia, ſive pharmaceutica ſive chirurgica, tunc, vel potius paulò ante præ aliis temporibus proficua; extra illud tempus verò, quo ſigna iſta ad cardinem tendant, moleſta magis parturienti, quàm fructuoſa futura; cum adjutricem Naturam non habeant, &, ſi protrudant fœtum extra tale tempus, (quod ego vix credo) intempeſtivè protrudere, ut viva-

cem

cem imò naturam etiam incolumen futuram ſperare vix liceat.

59. *Pro comminutione calculi* ſi balneum & ſimiles fomentationes externæ quam primum oboriatur dolor adhibeantur, facere id non negamus ad infringendos conatus Saturni & Martis, in coagulando calculo, ad quos vel quorum radios Luna ſine dubio tunc accedit. Θρυπτικὰ verò intra corpus tunc ſumta, antequam Luna à radiis horum diſcedat, metuerem ne coagulationem juvarent potius, quàm impedirent. Et quemadmodum hoſte depulſo, utile non minus eſt illius propugnacula deſtruere, quàm adhuc præſente impugnare; ita ego planè exiſtimo, ſi iſta lenientia & calculum leviter comminuentia non ad ipſum doloris impetum, plerumque cum conatu Saturnino & coagulativo conjunctum, differrentur; ſed tempore pacato, & ut Aſtrologicè loquar, à conſtellationibus Saturninis & Martialibus libero, inſtantibus tamen (quod quomodò præſciri poſſit, ſatis dictum eſt) ſuſciperentur; tales impetus ſæpè præcaveri, aut certè leniri poſſe. Simili modo podagricos curandos putem, juxta illud:

Dum dolor incurſu eſt currenti cede furori;
Difficiles aditus impetus omnis habet.

Experimentum proprium per Dei gratiam allegare circa neutrum horum, morborum poſſum, nec vellem poſſe, niſi quod Analogum quid calculo paulò poſt initium Anni hujus, ob Saturnum in Tranſitu per medium cœli Venerem affligentem expertus ſum, ſed ut non ſine ratione talia profero; ita ſi maximè ſcopum non per omnia feriant, aliis tamen ut feriant plus adjumenti quàm impedimenti allatura, ſi Aſtra non negligant, prorſus confido. Ego mori me mallem, quàm vitam ſub ejuſmodi ſæpè recurrentibus ἀναςροῖν degere.

60. In *Medicamentis, quæ peculiaribus membris deſtinata ſunt,* occurrunt primò *cephalica.* Ubi ne Studioſis invidere videar,

dear, quæ alii docuerunt, non poſſum quin adducam, quæ habet Paracelſus *in libro de caducis paragr.4.edition.Huſeri Baſilienſi p. 352.* ubi tempus exhibitionis Medicamentorum in morbo caduco aſtringit ad conjunctionem Veneris & Lunæ, item Lunæ & Saturni. item Saturni & Veneris. Deinde ad ſignum aſcendens fabricationis (hoc eſt, ut ego intelligo, ea hora qua aſcendit illud ſignum, quod aſcendebat tempore eo, quo Medicamentum præparatum fuit) poſtea *pag. 353.* ſycophanticè ridet Medicos aſcendentem non intelligentes, quo factum ſit ut Medicina nihil profecerit. quem tamen, quòd ipſe non intelligat, inde patet, quod dicat, ſe intelligere magnum Ylech (ſi ſcire voles quis ſit Ylech vel Hylech Aſtrologis, vide *Origanum Introduct. in Ephemerides de effectibus, membro tertio,* de judicio Genethliaco generali, *cap. 7* mihi, *p. 552. 553.* & videbis, Paracelſum loqui de re, ut loqui ſolent ii, qui, ut habet Proverbium Germanicum, ſonare audiverunt campanas, non conſonare). Sed clarius prodet auriculas ſuas, circa potum ſanguinis decollati (contra morbum ſcilicet caducum de quo quid ſit in ſe ſentiendum Medici indicent) ſed potum hunc inquam aſtringit ad *conjunctionem Leonis, Tauri, Arietis, Scorpionis, cum Marte, Jove, Mercurio, Sole,* &c. Quis verò dictat hoc tempus decollationis vel judici vel carnifici? imò quis ullam conjunctionem ſignorum unquam vidit, niſi fortè in ſomniis? planetarum verò conjunctionem talem, qualem ipſe requirit, tametſi in ſe non videatur impoſſibilis, certum tamen eſt, ſi ſemel viſa ſit, intra aliquot annorum centurias non recurrere. Si quis autem à me quærat; Num nihil putem latere poſt hæc carecta? ſanè non nihil putem, quamvis ipſi res ipſa loquatur incognitum eſſe. Taceo conjunctionem modò dictam, tanquam nimis craſſam. Quod autem initiò verborum allegatorum, dixit, de Venere, Luna, & Saturno. Ibi firmiter mihi perſuadeo, conjunctionem Veneris & Lunæ non parum habere in morbis & ſymptomatibus cephalicis,

præſer-

præſertim cum calore conjunctis, efficaciæ, ſi verò cum frigore malum ſit conjunctum, Jovem, unà tamen cum Venere, [non tàm ut in loco eodem Zodiaci ſiti ſint, quàm ut uterque fortem influendi conditionem habeat] ſi haberi poſſit, adſciſcendum putem. Quod verò Paracelſus pro ſuâ ſapientiâ ejuſdem efficaciæ cum conjunctione Veneris & Lunæ putet conjunctionem Saturni cum horum alterutro, craſſiſſimus & pro dirigendis eò medicamentis turbulentiſſimus error eſt. Non puto autem, Mercurium etiam negligendum, iterum cum Luna ſed in defluxu, ſi ſpiritus, agitationes Epilepticæ & ſimilia ſedari, in appulſu, ſi agitari debeant. Et ut Mercurius ſit, ſi non in maxima, ſaltem in mediocri diſtantia à Sole, ne in phaſin Lunæ cum Sole imprudentes incidamus, imprudentes inquam, cum & in iis defluxus Lunæ à Sole pro compeſcendis, appulſus pro excitandis motibus cerebri & ſpirituum facere videatur. De aſcendente verò quæ dicit, aſinæ Bileami modo dicere videtur, hoc eſt, vera quidem, ſed inſufficientia, & ſine dubio ipſi incognita. Dicit, Medicamentum exhibendum eſſe, ſub tempore aſcendentis ejus ſigni, quod tempore fabricationis [ut ipſe loquitur, fabricam ſine dubio ſigilli alicujus intelligens, quod alibi rejectũ] vel potius præparationis aſcendit, quod non exiſtimo de nihilo, ſiquidem aſcendens fuerit ſignum aliquod ægri apheticum, id potiſſimum, quod Luna vel Nativitatis vel conceptionis tempore obtinuit [vide *Diſp. 3. th. 14. & ſeqq.*] Ut ergò meo tandem ore loquar, exiſtimo, ſi medicamentum tendere debeat, ad compeſcendos motus cerebri inordinatos 1. vitandum Lunæ appulſum ad Mercurium. 2. aſcenſionem vel culminationem ſigni Lunaris in conceptione vel Nativitate 3 non incommodam contra conſtellationem aliquam ad Saturnum, non violentam tamen, ſed ſextilem vel Trigonum. Si verò excitandi ſint ſpiritus, probaverim appulſum Lunæ ad Mercurium. Sed per radios vel in ſeſe leniores, quos modò nominavi, vel valde platicos, & ſignis dictis aſcendenti-

 bus

bus vel culminantibus. Ad diluendos verò viſcoſos cerebri humores mirè ſine dubio conducit conſtellatio Lunæ cum Venere, vel fortiſſima, & iterum vel aſcenſio, vel culminatio ſignorum dictorum, ſi calor cerebri nimius reſtinguendus, Venus; ſi frigidus, Jupiter Lunam aſpiciens multum profecerit. Idem quod in cerebro præſtat, etiam in *auribus*, item in *Thorace* præſtare puto Mercurium, quippe qui cum mobilitati ſpirituoſæ præſit, ex illo cerebro, propter ſpiritus animales, pulmoni propter reſpirationem, auribus propter inſitum aërem primigenium proſit. Omnia autem hujus generis Medicamenta, ſi humectare ſimul debeant, creſcente, ſi ſiccare decreſcente ſive brevi poſt plenilunium, ſive quod efficacius poſt quadraturam ultimam exhiberi debebunt.

61. *De Ophthalmicis* ad rem facere exiſtimavi, ſi huc adducerem exemplum, quod habet *A. C. 1468. ex Marian. Calviſius;* Judæum quendam dicens, Medicinæ Ophthalmicæ & juxta Aſtrologiæ peritum, pro albugine dextro oculo, Johanni Regi Arragoniæ detrahenda, elegiſſe diem 11. Sept. pro ſiniſtro diem 12. Octobris. Computavi ad utrumque horum dierum loca Planetarum, tùm ex hodiernis, tùm ex Alphonſinis tabulis, tunc uſitatis, ut & quid ipſe ſpectaſſe & quid ex meis rationibus pro electione commodum fuiſſe, conſentaneum, perſpicere poſſem. Et inveni utrumque horum dierum convenire in ſequentibus; primò, quòd Luna utrobique eſſet in decremento, ſextili platico à Sole. Quod quamvis *Ganiveto contrarium* ſit, qui Lunæ incrementum in cura oculorum requirit [quia ſcilicet, lumen iſtius creſcit, non memor, quòd etiam humiditas oculis inimica creſcat] rationi tamen, propter metum ſuffuſionis apprimè conſentaneum, judico. Secundum, quod in utroque horum dierum deprehendi, eſt Mediocris, diſtantia Veneris à Sole, quod ſive ipſe ſpectârit [quod omninò exiſtimo,] ſive non ſpectârit, commodius tamen puto, quam ſi vel nimium propinquam, vel nimium remotam

elegiſ-

elegiſſet. Illud enim conjunctioni, hoc oppoſitioni ejus ad Martem non abſimile. Fortem autem conſtellationem Martis cum Venere oculis incommodam, exemplo poſſum oſtendere. Tertium eſt, libertas Lunæ ab aſpectibus vehementioribus etiam bonorum Planetarum, quod ut non ſine ratione commodum judicandum in cura membri teneri, ita ab ipſo ſpectatum inde colligo, quod die 12. Octobris Luna propior fuerit Soli, quàm die 11. Septembris, utroque autem libera ab omnibus aſpectibus violentis, die autem 11. Octobris eâdem quidem remotione à Sole, ſed quadrato Jovis obnoxia fuiſſet futura.

62. *Ventriculo, Epati, lieni,* calefacientia ſine dubio applicanda ſub Jovis, frigefacientia ſub Veneris fortiori influentia. *Renes & veſicam,* calefacientia Lunæ ambulantis à Venere ad Jovem, frigefacientia, à Jove ad Venerem, aut certè [quia non tàm facilè conſtellationes pro Medicamentis, quàm Medicamenta pro conſtellationibus commoda eligi poſſunt] ſub quavis forti Veneris conſtellatione rectè applicari exiſtimo. Idem cam Venere in malis uteri obſervandum. *Neuriticis & Arthriticis* Veneris influentiam valde commodam, ex eâ ratione judico, quòd illa membra Veneri ſubjecta ſint, quamvis nec legerim nec audiverim obſervari.

63. *Lac & ſemen* generantia Luna creſcente & in ſignis Aphęticis verſante, item ad planetam Aphęticum tendente, ut & ſub hora critica [talibus enim temporibus vis vegetans à ſideribus maximè movetur, & ſtimulatur] Imminuendis verò talibus, horum defluxus & conſtellatio Saturni ac Mercurii inſervire poterit. *Rubefacientia, veſicantia, cruſtam inducentia, adurentia, corrodentia* Martialia ſunt. Non tamen propterea conſultum, ut ſub forti eius influentia applicentur. Quia exceſſu facilè nocere & inflammationem poſt ſe trahere poſſunt. Quia tamen fortaſſè nec ſatis conſultum, ſi contrariis huic operationi ſideribus Luna aut Venere operatio turbetur, itaq; commodiſſimum putârim diebus prorſus à Lunæ aſpectu vacuis,

aut ſub tali hora, qua Luna ab aſpectu planetæ ſecum copulati diſcedat, talia ſuſcipi. *In Alexipharmacis*, hoc eſt, iis, quæ *Venenis* opponuntur, cùm rarò moram ferant, velle curioſum eſſe Medicum, commodænéſint ſidereæ conſtellationes nec ne, non juſſerim. De δόσει tamen & modificatione Medicamenti, nihil poſſe monere ſidera eum, qui operationes eorum rectè calleat, non dixerim. *Vermes necantia* non putem cum periculo ſub Saturni vel Martis conſtellatione adhiberi, quia potentiâ exſiccandi duo hi planetæ præditi: Vermes autem ex humore nimio plerumque oriundi.

64. *Chirurgicæ operationes* à D. Sennerto commemorantur ſequentes: *ſynthesis*, *ſeparatorum conjunctio* διόρθωσις, *eorum, quæ intorta & compreſſa ſunt, correctio*, διαίρεσις *continui ſolutio*, ἐξαίρεσις *ſuperfluorum extirpatio ſive exemptio*, *& deficientium reſtitutio*. Ad *ſynthesin* quod attinet, præſertim eam, quæ in oſſium fractorum coaptatione conſiſtit, quemadmodum Saturnus influxu ſuo prodeſt membris ſolidis, ita quin multum in συνθέσει præſtet, dubitari non debet, quemadmodum & in διορθώσει. Licet caſus requirentes talia plerumque inopinati, ſiderum influxum expectari non facilè permittant. *In Sectionibus* autem qui parum intereſſe putant, ſub quib. conſtellationibus ſuſcipiantur, ii ſaltem hoc reſpondeant, *cur noctu incommodæ, & ſaltem cum ægri majori dolore conjunctæ putentur?* Quia Sol abeſt inquiunt. De reliquis ſideribus tacent, quare? non quòd virtutes illorum nullæ, ſed quia illis ignotæ.

65. *In* διαιρέσει itaque ſive *ſectione fiat ſive uſtione*, præſertim hac, malum, quod talia infelicia reddit, frequētiſſimum eſt inflammatio, præſertim in membris tenerioribus. Vitentur ergô in ea influentiæ fortiores Martis, præſertim Venerem ſubtiliorum membrorum præſidem ſive aſpectu aliquo affligen is, ſive locum ejus Natalitium obſidentis. Nec fides habenda phaſibus Lunæ, præſertim Novilunio. Saturnus contra ne fungorum & ſarcomatum ſuccretiones promoveat cavendum.

dum fuerit. Nec locum hîc facilè habuerit periculum moræ Vix unam interdum aut alteram horam requirentis, donec ſcil. Luna à malo planeta ad quem modò acceſſit, defluat. Quemadmodum & phaſes Solares Lunæ præſertim decreſcentis ſi in defluxu ſint, operationem ejus remiſſiorem faciunt, modò ne ad malum Planetam accedat.

66. Pertinet huc *Venæ-Sectio*, utramque ferè paginam faciens in Regulis Aſtrologorum, præſertim Calendario-graphorum de Electione vulgaribus. Nos potiſſimum intuebimur fines venæſectionis, qui non tantum eſt plethoram ſeu nimiam ſanguinis copiam imminuere [hoc enim ſolum ſi eſſet, perinde eſſet, quocunque tempore ſuſciperetur] ſed præcipuè ut ſanguis vel corrigatur vel ne deterior fiat, prohibeatur, quorum neutrum aſſequemur, ſi tali tempore eam inſtituemus, quo ſanguini per ſiniſtram fermentationem ab influentia non ſatis cõmoda excitatam ad alienam qualitatem ſeſe deflectendi occaſio præbeatur. Sanè ſi ſanguis jam eſt in fermento ſiniſtro & vehementiori, ut fieri videtur in febribus & ſimilibus morbis vehementioribus, dubitari fortaſſè poſſit, num ſit magnopere diſſuadenda venæſectio, etiam ſub ſiniſtris conſtellationibus, cum remiſſioni potiùs, quàm augmento fervoris illius, anſam præbere videatur ſanguinis miſſio. Nos, præſertim cùm Hippocrates ſub initio febrium venæſectionem ſuadeat, poſteà diſſuadeat, altiori indagini quæſtionem illam committentes, quæ ſumus deinceps in hanc ſententiam dicturi, de ea potiſſimum intellecta volumus quæ cauſâ præſervationis aut ex conſuetudine [probandâ an improbandâ hîc non diſceptabimus] aut ad plethoram ſimplicem nude immunendam ſuſcipitur. Hæc, ne in ſiderum cenſuram incidat omnia conſtellationum genera nonnihil perluſtrabimus.

67. Ad Solem quæ ſpectant, in iis nihil prætermiſit Hippocrates. Huc enim ſpectant quæ de quatuor anni temporibus monuit. Item, quæ de Stellis fixis vel ante Solem, ut in

ortu Heliaco, vel cum eo, ut in Coſmico, vel è regione ejus, ut in Acronycho oriuntur, de quibus quia quid videatur ſentiendum *Diſſ. 1.* monuimus, actum non agimus. Hoc tantum monemus; Etſi ſtellæ fixæ ab Hippocrate, præſertim in ortu Heliaco citatæ non tàm efficere, quàm comitari videantur ea, quæ ipſe & alii illius ætatis ipſis videantur aſcripſiſſe [cani certe, quæ tribuuntur quàm nullo nitantur fundamento *Diſſ. 1.* ſatis dictum eſt.] Spectari tamen ſingularem Hippocratis induſtriam, qui etiam ea, quæ ſuſpicatus tantùm ſit, tàm graviter ſit ſecutus, adeoque exemplo nobis eſſe debere, ut in iis, quæ non ſuſpicamur, ſed ſcimus hodiè de Aſtris, potiſſimùm de Planetis, cùm dogmata quæ diſcamus, ab ipſo nulla habeamus, exemplum ejus eò diligentius imitemur. Præſertim cum multa ipſe in Epidemiis & alibi commemoret, quorum actionem vel ex Sole, vel ex Stellis fixis appulſu Solis notatis deduci nec crediderit, nec cùm anniverſaria non fuerint, credere potuerit. adeoque Studioſos non tàm ideò ad inſpicienda Aſtra adhortatus ſit, ut ſua confirmentur, quàm ut reliqua, quæ diligentiam ipſius adhuc fugiſſent ab aliis inveſtigentur.

68. Ad Lunam quod attinet, diſtribuunt vulgo phaſium illius intervalla inſigniora quatuor, quas quadraturas vocant, in quatuor ut ajunt hominis ætates. Primam quadraturam adoleſcentibus, ſecundam juvenibus, tertiam viris ad ſenectutem inclinantibus, quartam ſenibus, pro venæſectione aſſignantes. ſtupidiſſimè. Si enim diſtributio quadraturarum Lunæ ad ætates in venæſectione accommodanda eſt, & ſenes propterea ultima quadratura ſanguinem mittere poſſunt, quia ipſis ſimilis eſt, cur non infantibus venæ ſecantur, quippe quibus [& non adoleſcentibus tantùm] prima quadratura reſpondet, ut ſcilicet prima quarta ſit puerorum & puellarum impuberum, ſecunda puberum, tertia virorum & mulierum. Quarta Senum. Et nonne quæ Luna decreſcente moventur & minuuntur, decreſcunt, & minus vigoris quàm ante habuerunt, acquirunt?

Hoc

Hoc cum etiam ſenibus in ſenectute contingat, tu afflictis afflictionem, jam ante decreſcentibus decrementum addes? Non ipſis, inquis, ſed ſanguini quo abundant. Sed moles ſanguinis etiam in incremento per venæ ſectionem minui poteſt, ſalvo & creſcente interim, niſi exceſſus in miſſione committatur, naturali vigore. vigorem autem ſeni, aut etiam cuivis alii qui adimit, vitam adimit. Et nonne vertigine laborare videntur tales? Membrum quamvis vegetum inſtrumento Chirurgico tangi nolunt eo tempore, quo à Luna ſignum illi præfectum occupatur. Senes autem viribus deficientes eo tempore, quo id in cœlo, quod illi ſenibus præfecerunt à Luna obtinetur, ſanguine privari non vetant, ſed jubent, Mihi hæc & ſimilia deliria nihil videntur aliud, quàm flagella divina ingratitudinis hominum, qui naturali & utili Aſtrorum noticia atque indagatione neglecta, ad ſuperſtitioſa Idololatrica & Magica ſeſe non coverterunt modo, ſed plus etiam fidei quàm rectæ ipſorummet rationi adhibuerunt, vel tantùm Dei donum oblatum, prorſus reſpuerunt. Certè quòd Ariſtoteles impugnatur, cujus tamen unicum fuit ſtudium, ut dogmata ſua rectæ rationi unicè reſponderent, nemo miratur, multò minus indignum putat. Quod autem talia commenta Aſtrologorum impugnentur, quæ rationi non conſentire imò contradicere vel pueri videant, non crimini modo datur, ſed impietatis, antiquitati honorem debitũ denegantis, ab iis damnantur qui intelligentiſſimi talium præ omnibus videri volunt. Sed ut ad rem redeam. Ego niſi ſumma ſanguinis luxuries obſtet, author fuerim non modò ſenibus, ſed omnibus omninò, ut non niſi creſcente Luna ſanguinem mittant. Ut enim decrementum Lunæ omnium ætatum & rerum vigorem imminuit, incrementum auget, ita omnes operationes ſublunares, cum cœleſtibus quaſi ambulantes idem faciunt.

69. Eo-

69. Eodem ſale perfricandum eſt illud commentum de membris in ſigna cœleſtia diſtributis, & inſtrumento Chirurgico non tangendis, cum ſignum huic vel illi dominans à Luna occupatur. Sed quàm à Phyſica alienum, tãquam à ſe invicem patientia, & in ſe invicem agentia conjungere, quæ qualitatibus agentibus & patientibus non reſpondent, notum eſt. videatur *Diſp. 3. theſ. 37.* &, ubi eædem ineptiæ circa Mineralia & plantas taxantur, *Diſputat. 2. theſ. 26. & ſeqq. Item 30.* Idem de qualitatibus ſignorum Elementaribus, quaſi venæ ſectio ſub ſigno, quod igneum vocant igneas, quod aqueum aqueas, quod aëreum aëreas, quod denique terreum terreas qualitates inducat. Ego ut *Diſput. 1.* theſi paulò ante citata exemplum meum protuli de violatis regulis circa membra corporis in ſigna diſtributa, ita nunc de qualitatibus proferam, qui Anno 1655. ſub febri maligna venæ ſectione, in Leone, igneo ſigno, & prætereà in ſe, quòd cordi præſit in venæſectionibus vetito ſuſcepta ardore febrili ea ipſa hora liberatus ſim. Et quas dat turbas cor ſcorpii? tantas ut meritò Martem vicarium etiam hoc in negocio dicas. Calidum eſt, quia Martis vices agit. Quomodo ergò Scorpius inter ſigna aquea? Et, ſi venenatum, adeò, ut quo die à Sole tangitur eodem Venæ ſectionem incomodam reddat, quod etiam oculo Tauri & Auſtrinæ lanci libræ tribuunt, quomodo hodie occupat locum cœli venæ ſectionibus aptiſſimum, priorem videlicet partem ſagittarii?

70. Sed quaſi parum nugarum & abſurditatis eſſet in regulis modò commemoratis, circumferuntur inſuper *duæ conſignationes phlebotomicæ* & altera [neſcio amplius utra] Argentinæ typis æneis expreſſa habetur, in quarum altera à primo die Menſis ſolaris, in altera à Novilunio numeratis certis diebus, venæ ſectio prorſus interdicitur, & minæ de malis maximis ſecuturis adjiciuntur. De quibus ut breviter quid ſentiendum videatur aperiam, hoc dico, ſi altera illarum ſchedularum

vera

vera ſit, alteram neceſſariò falſam eſſe, cùm dies illi vetiti ſaltem interdum in bonos & boni in malos incidant. Quo jure autem unâ rejectâ, alteram probabimus? cum jure Quiritium Aſtrologico, antiquitate puta, utraque valorem acceperit. Quid verbis opus eſt? ſive una ſive utraque ſchedarum illarum valeat, ego totam Aſtrologiam caſſâ nuce non emam. Cum eædem conſtellationes neutræ quotannis, præſertim ſi tempus quo fortè inventæ ſunt cum hodierno conferatur, reſpondeant. v. g. Sol Arietem hodie ingreditur decimo Martii, olim vigeſimo aut vigeſimo tertio. Profectò incidimus, non illud tantùm in ſeculum, quo Seneca prædicente ebrietati ſed & quo mendacio honor habetur, & ut multum bibiſſe, ita multum mentitum eſſe virtus facta eſt. Et quidem in re tanti momenti cumque manifeſto valetudinis, quid nî tandem vitæ? imò vitæ, ſi unicum hoc in iſtis ſchedis verum eſt, morte ſubita ex intempeſtiva venæ ſectione moriendum quandoque eſſe, conjuncta.

71. Aſpectus verò Planetarum, ut in aliis ſuperioribus ita etiam hîc magni ſunt momenti: [præſertim Lunâ ſuis aſpectibus illis aſtipulante] Uno verbo; commodi ſunt Jupiter & Venus, ille potiſſimum contra atram, hæc contra flavam bilem. Idque in omnibus aſpectuum ſpeciebus. Saturni verò & Martis radii illius de atra, hujus de flava bile meritò ſuſpectis. Mercurii etiam aſpectibus violentioribus propter ſubita capitis ſymptomata parum fidei habendum videtur. Sed quid de caſu neceſſitatis ſentiendum? commemorabo quid aliquando ego fecerim, abſente Medico noſtro, cujus conſiliis uti ſolebam, ſed poſteà ubi cognovit, approbante, calculum addente etiam eventu: Conqueſtus eſt diſcipulus & domeſticus de compunctione laterum pleuritide notha, ut ſuſpicabar, quicquid eſſet à ſanguine eſſe, non malè opinor colligebam. Luna accedebat ad radios Martis, con-

ducebam nihilominus Chirurgum. ſed is imperitior [magiſter enim domi non erat] venâ non quidem in totum, majori tamen ex parte aberravit, unciâ circiter ſanguinis guttatim effluente. æger delaſſatus, nec diuturniori fluxioni, nec venæ alterius ſectioni tolerandæ ſe eſſe cùm diceret, claudi rivum juſſi eo die; poſtero verò memor ejus, quod eſt apud apud Fernelium & Galenum *Meth. Med. l. 8.* (*tutius quandoq; eſſe quantum viſum fuerit, tantum principio detrahere, quod defuit iteratione ſupplere*) Chirurgo ſolertiori conducto aliam venam aperiri juſſi, felici ut dixi eventu. Hoc exemplum & ſimilia fortunæ ſi quis velit tribuere, ego, cujus officium eſt ejuſmodi ut vitio mihi verti non debeat, ſi exemplis à me expertis in hoc genere non abundem, non debeam fortaſſe magnoperè refragari. Mallem tamen ei, qui ita ſentiret aſſentiri quàm iis qui quòd neceſſitas nos à regulis quandoque excludat, ideò omnem Aſtrologiæ ſaniori fidem derogandam putant. Nihil ſcilicet ex Hippocrate melius edocti, quàm primum Aphoriſmum, ubi malorum in morbis & eorum curationibus eventuum, culpa vel in ægri diætam, vel in circumſtantes, vel in exteriora conjiciendam didicerunt, non malè ſi exterioribus illis ſidera à ſe neglecta, annumerarent. Hoc addo, & quidem ex Medicorum niſi fallor, conſenſu; non ſequi ſemper, commodam fuiſſe venæ ſectionem, ſi inde ſecutum incommodum non ſtatim ſentiatur, cum pleraque ſanguinis mala lenta ſint, hoc ipſo nomine deteriora, quod non aperto Marte, ſed quaſi per cuniculos Naturam impugnent. Addo & hoc, inſigniorem mutationem fieri, ſi venæ ſectio in ſigno Aphetico & paulò ante horam apheticam ſuſcipiatur. Cum enim Natura ægri tunc in fermento & mutatione ſit, occaſio illi præbetur mutationis, Medici ſcopo eò facilius conformandæ. Quemadmo-

dum

dum & error tali tempore com̃iſſus majori cum periculo conjunctus. Sed ſapientibus ſatis.

Atque hæc eſt *Aſtrologia* mea *ad Medicinam applicata.* DEUM omnis boni authorem animitus precor, ut quo animo hæc [non ſine multis, præfiſcine dicam, & intentiſſimis lucubrationibus] animo ſcilicet veritatis & fructus publici unicè Studioſo, ab omni contra contentionis æmulationis, ſugillationis [quantumvis cauſæ fortaſſè non defuiſſent] ſtudio, liberrimo, elaboravi pro eodem ab omnibus, quibus gratificari ſtudeo, [cui; autem bono gratificari non ſtudeam?] ab omnibus inquam, accipiantur.

Soli DEO omnis boni authori, ſit laus & gloria in ſecula ſempiterna.